

Medicorum Silesiacorum Satyrae, Quae Varias Observationes, Casus, Experimenta, Tentamina Ex Omni Medicinae Ambitu Petita Exhibent ...


Specimen II

Wratislaviae: Lipsiae: Korn, 1737

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935623>


Band (Druck) Freier  Zugang





Linnæus dreizehn B^{de}

Ma - 3605.



MEDICORVM
SILESIACORVM
SATYRAE,

QVAE
VARIAS

OBSERVATIONES,

CASVS, EXPERIMENTA,
TENTAMINA

EX

OMNI MEDICINAE AMBITV

PETITA,
EXHIBENT.

SPECIMEN II.

CVM FIGVRIS.

WRATISLAVIÆ ET LIPSIAE,
IMPENSIS JOH. JACOBI KORNII.

1737.

MEDICORVM
SILESIACORVM
SATYRAE

VARIAE

MORHOFIVS

OBSERVATIONES
TURPE EST, DIFFICILES HABERE NVGAS;

SED PVLCHRVM EST,

HABERE DOCTAS.

OMNI MEDICINAE AMBITU

PETITA

EXHIBENT.

SPECIMEN II.

CVM FIGURIS.

IMPENSIS JOH. JACOBI KORNI.

1737

A. Ω.

LECTVRIS SALVTEM ET
OBSEQVIA.

DVæ sunt causæ, quarum gratia
quædam præfari opus habe-
mus, altera *Observationes* ipsas,
altera *Dictionem* spectat. Quum enim
plurimorum sit consuetudo, repre-
hendere conatus aliorum potius quam
emendare, aut meliora exhibere, idem fa-
rum & nostræ SATYRAE sunt expertæ
Muti, qui nil nisi miracula & ostenta ex-
pectabant, aut non vsui, sed curiositati tan-
tum, nos scripturos sperabant, quum spem
suam ita viderint delusam, spernere, tan-
quam trita & ubique obuia maluerunt.

A 2

quam

quam grata mente accipere, & æqui bonique consulere, quæ scripsimus. Hæc iudicia, licet nos plane non morentur, aut a proposito, semel capto, deterreant, nec adeo ponderosa iudicemus, vt nos ad aliam viam ingrediendam mouere possint, ita tamen comparata sunt, vt alios, quibus institutum nostrum, aut plane non perspectum, aut præcipitantia quædam in iudicando familiaris, & per mutuata ab aliis perspicilla videndi consuetudo est, circumuenire, eosque ad sinistras opiniones pariter disponere valeant. Alienissimos quidem nos ab hac credimus ambitione, quæ omnibus placere laborat, quum ne Iupiter ipse quidem cunctis placeat, & ex SENECAE Philosophi sententia, infelix homo sit, qui auram vulgi, vel inconditæ multitudinis, captat. Optarem tamen interea, vt incitari se paterentur, quibus nostra non arrident, tritis & vbique obuiis spretis & missis, ad rariora, curiosiora, mirabiliora producenda, quamuis

uis

uis certo persuasi sumus, OBSERVATIONES hactenus communicatas, & in posterum bono cum Deo & Faventibus AMICIS edendas, sua non caruisse, nec carituras, vtilitate. Morborum enim historia, ad vltimum perfectionis suæ gradum, pro-ut forte cerebrinis speculationibus immersa, aut precariis hypothesibus, a natura & veritate rei vt cœlum terra distantibus, occœcata capita sibi aliisque persuadere conantur, nondum est producta, sed multa nobis posterisque adhuc relicta sunt, huc aliquid facientia, quæ a raris tantum aut curiosis casibus profecto expectari non debent, partim quod rara raro occurrant, partim quod curiosa raro sint vtilia, strepitum quidem edant, prætereaque nihil, & montis parturientis ad instar, præter ridiculum murem, nil pariant, vel, si dicendum quod res est, admiratione potius digna habeantur, quam imitationi apta. Quum itaque nos potius vtilitati, quam meræ cu-

riofitati fatifacere ftudeamus, bene memores illius, quod olim in immortalis MORHOFII *Polybift.* legimus; NISI VTILE EST, QVOD FACIMVS, STVLTATA EST GLORIA, viam hactenus ingreffam pari alacritate profequemur, noftrisque LECTORIBVS, fideles morborum, aliorumque non inutilium experientia: fpeciminum narrationes exhibebimus, quæ vel emendanda: vniuerfali morborum theoria:, vel imitationi, in profligandis humani corporis læfionibus tuto adhiberi poffint. Ea certe eft natura: conftitutio, vt diligens & attentus practicus, etiam in leuiffimo morbo, aut vbique obuio eiusdem fymptomate, aliquid inconftuetum, rarum, curiofum, imo interdum miraculo non abfimile, facili negotio deprehendat, aliis, fugitiuis faltem oculis rem confiderantibus, non vifum, non obferuatum, non attentione prudenti dignum iudicatum. Quia vero dies diem docet, &, quo plura experi-

experimur, eo etiam meliora, politiora nobis dare licet, omnes vires neruosque nos semper intendere velle, serio promittimus, ne omni plane consideratione indigna nostris pagellis imprimantur, quod huc vsque nec factum esse, non immerito credimus, nec vnquam fiet, quemlibet sperare iubemus. FAVORIBVS vero nostris, quos plures, quam initio tenuis labor expectare potuit, nacti sumus, publice, pro transmissis symbolis, agimus, quas decet, gratias, eosque ad Fauoris continuationem, amice ac vehementer hortamur. Alterum, cuius causa aliquid dicendum nobis restat, DITIONEM concernit, quam omnino politiozem optaremus. Irrepere profecto quidam, AVTORVM festinante nimium forte calamo, errores in Grammaticorum regulas impingentes, plures tamen eosque notabiliores & propter integritatem vocum amissionem, aut foedam corruptionem, ipsam haut raro sensum turbantes,


A 4

bantes,

bantes, vt de orthographia misere habitam taceamus, peperit typhothæ, vel potius correctoris siue inficitia, siue incuria, quorum, volumine primo ad finem perducto, catalogum & emendationem adnectere, & in posterum, quantum in nobis erit, curam gerere volumus, vt cuncta, quæ LECTORIBVS ingrata videri possunt, omni modo euitentur. Valete Wratisl.
XV. Kal. April. ob DCC xxxvii.



OBSER-



OBSERVATIO I.

D. GOTHOFREDI HENRICI
BVRGHART,
Medici Wratislauiensis,

*Cataracta, post lotum in coryza Caput, subito
exoriens.*

§. I.

Illustrissima huius sæculi inter celeberrimos viros controuersia oculorum morbos respiciens, nec sine bile agitata, illa est, quæ in veram Cataractæ naturam & constitutionem inquirat. Plurimi hunc morbum nil aliud esse credunt, quam ipsam lentem Crystallinam euadentem opacam, alii veterum sententiam defendunt, membranulam quandam peculiarem scilicet, materialem constituere adfectus rationem. Legi hac de re merentur HEISTERI & WOOLHOVSII scripta.

§. II.

Si vero dicendum quod res est, hanc opinionem Humorem videlicet Crystallinum Cata

A 5

ractæ

factæ constituere causam, nemo prudens, & experientorum fide, & ratiocinationum inde consequentium pondere fultus, vltro reddere valebit dubiam, quidquid in contrarium dici posse, sibi imaginentur aduersarii, magni licet nominis sint, quo tamen, ni fallor, & fama parta abuti videntur, vt thesin defendendam in se suscipiant, non dicam ridiculam, sed experientiz, & rationi maxime contrariam, ne adamas hæctenus hypotheses deserere, librosque, quos luci exposuerunt publicæ, refutare ipsimet cogantur.

§. III.

Dicant si poterint, an sequens, quem referam, casus, vel suspicionem membranulæ tam subito exortæ alicui iniicere possit, nisi oculorum structuræ, totiusque œconomiz animalis ignarissimos publice semetipfos velint vocare.

§. IV.

Anno 1731. Mense Aprili, Crosnæ meum efflagitavit consilium Virgo quædam quinquaginta & quod excurrit annorum, nationis Boheamicæ, mediocris staturæ, corporis habitu macra, vasculis turgidis, pulsu tardo, & magno, vitæ sedentariæ, & propter rem domi angustam variis curis & mœstitiæ dedita. Ex quibus tardior humorum motus & peridromus, consequenter spissitudo, temperiesque ad melancholiam accedens non inepte colligi potuit.

§. V.

§. V.

Catameniorum negotium ab aliquot iam annis consueto more cessauit, ab eo tamen tempore capitis dorsique dolore, artuum rheumatibus subinde conflictare necesse habuit, ita tamen vt labores suos suspendere coacta non esset, singulis vero annis vere ac autumno circa æquinoctia admodum ipsi molesta, atque per aliquot dies imo integras interdum septimanas durante, grauedine & coryza vexabatur.

§. VI.

Consuetam illam Coryzam circa finem Martii 1731. aere admodum turbido, frigido, humido existente iterum experitur. Quum autem adfectus patientem nimis diu, secundum eius opinionem, detineret, proprio consilio, & vetularum aliarum persuasione propositum capit, ad debellandam Coryzam, caput calida lauandi.

§. VII.

Lauatur, & coryza etiam remittit, ita tamen, vt capitis grauitatem statim incipiat persentescere, oculorumque hebetudinem, momenti singulis augmenta capientem: quam triduo post lotionem plenaria visus abolitio sequitur.

§ VIII.

Rebus ita constitutis me demum adiit opemque meam implorat, efflagitat. Percepta, quam hucusque retuli, morbi historia, & oculis diligenter examinatis, Cataracta coloris ex albo cærulescentis (Perl-Farbe) laborare pronuncio.

Tanta

Tanta erat Cataractæ facies & adparens perfectio, (Conf. HELSTERI *Cirurg. Part. II. cap. 55. §. 9. 10. pag. m. 521. seqq.* item *de Cataract. tractat. §. LXXXVIII. seq. pag. 250.*) quanta vix in aliqua vnus vel alterius anni obseruabilis, ita vt paucis fortasse septimanis, aut vno vel altero mense præterlapsis, nullus dubitarem hanc operationi submittere, sed dies, quo patrios lares repetere constitueram, iam præfixus, plenior maturitatem expectare prohibuit,

§. IX.

Tam tristem humorum metastasin & subitaneum eiusdem effectum, me in obseruationum Scriptoribus, quos euoluere contigit, hætenus inuenisse non memini, quare si non plane insolens, tamen rarissimum cataractæ ab eiusmodi causa excitatæ exemplum dicere non hæreo. Immo quod ratione operationis pronunciaui, nemini mirum videri poterit, quum cataractas aliquot septimanarum vel mensium acus punctura sanatas legerim. Si enim artifices plenariam lentis Crystallinæ obscuracionem omnemque videndi potestatis abolitionem, præter obscurum quendam diei noctisque sensum, pro sufficienti maturitatis signo reputent, & insuper recentiores cataractæ facilius & securius instrumento pareant, quam nimis vetustæ, consequens est, præsentem citius præ reliquis futuram operationi aptam.

§. X.

§. X.

Adparet etiam clarissime catara etiam solum consistere in exilissimorum vasculorum inter lentis CrySTALLINÆ fibras repentium infarctu, humorumque in iisdem circulantium stasi & consequente coagulatione, & successu temporis induratione, quare etiam communiter moles CrySTALLINÆ lentis post alicuius temporis intervallum imminuitur, & quasi contrahitur. Quod autem humores extra suum peridromum constituti & per consequens coagulati, lenti crySTALLINÆ pelluciditatem adimere eamque reddere possint obscuram, vel ex animalium demortuorum oculis per aliquot dies integris conseruatis adparet, sine imaginaria nescio qua pellicula in subsidium vocata.

§. XI.

Notent sibi hunc casum tam medici, Coryzam haut raro remediis repellentibus, adstringentibus, volatilibus, & huius farinæ aliis adgredientes, quam nasutuli alii artem salutarem ex ingenio proprio, singulari si superis placet peritiam timido metientes, & suis remediis domesticis omnem statim morbum, nulla habita finis eiusdem aut naturæ intentionis ratione, debellantes. Nullum enim remedium tam innocens est, cuius peruersum, imprudentem, ac contrarium usum, insigne & immedicabile haut raro damnum sequi non possit.

§. XII.

§. XII

Nam Coryza limites non excedens sibi relicta, præter molestiam corpori nullam inferre solet læsionem, sed potius morbus salutaris dici meretur conseruationi corporis adcommo-
 tus: Coryza in feminis menstruale vèctigal non vltro soluentibus, periodice recurrens, vices eiusdem in se suscipere & humorum abundantia sensim sensimq; augmenta capienti obicem ponere videtur: Coryza itaque in eiusmodi subiectis vel plane intacta relinquenda, vel admodum caute & vix aliter quam præfidiis deriuantibus & leniter per catharsin euacuantibus, minime autem externis, adfluxum humorum versus superiora inuitantibus, aut repellentibus, aut impulsui fluidorum in nobiliores partes ansam præbentibus, tractanda est: Coryza vero capitis lotionem calidam adgressa, cæcitatem inducere valet, præsertim si natura ad hanc excretionem iam adsueta est, & statim tempore eandem excitare solet. Nihil itaque, vt HIPPOCRATES prudenter monet, temere, nihil inconsiderate tentandum.

OBSERVATIO II.

Catulorum aqua suffocatorum Anatome.

CAtulum, ex eorum genere, quos Mopsulos vocant, ante XII. horas natum in vas aqua plenum immisimus. Post quinque minutorum

rum

rum spatium se amplius non mouens, multas aperto ore per aliquot momenta bullulas euomit, ita vt aqua quasi ebullire videretur, eiusmodi vesiculas, sed longe pauciores, ex naribus egredi obseruauimus. Paulo post cessante vesicularum egressu, lapidis ad instar fundum petebat, quum antea mirum in modum corpus pedesque ad mortem quasi eludendam moueret, torqueret, caputque extra aquam protrahere laboraret. Incisa cutello cute, vulnus forfice amplius reddere tentantes obseruauimus, quod, mortuum licet crederemus, os late aperiret, & ex naribus alba quaedam spuma copiose scaturire, omneque corpus aliquoties vehementer conuelli inciperet, quum enim cadauer ex aqua extraheremus, abdomen vento quasi repletum erat, & maxime inflatum. Conuulsionibus corpus agitantibus, etiam exigui cutis tubuli largissime plorabant sanguinem. Postquam deinde inter continuos eiusmodi spasmos peritoneum nihilominus aperuimus, insigni quadam vehementia inferioris ventris intestina egredi conabantur, multo spumoso sanguine nigricante perfusa & comitata, ipse vero catulus caput pedesque mouebat, qui tamen motus non tam conuulsiui quam potius voluntarii esse videbantur. Festinando itaque dissectuimus pectus in vtraque sterni regione, nobis iterum multo sanguine coloris floridi & spumefcente, intra cavitatem medii ventris quasi extraxato obuiam veniente, quod phanomenon

non nobis impedimento erat, adcurate cuncta inquirendi. Iucundum tamen præbuit, cor systolen atque diastolen per aliquot tempus adhuc sine vlla conuulsione placide continuans, spectaculum. Abscisso loro pulmonis, cuius color candidus erat, cruor floridus multæque bulullæ egrediebantur, idem fiebat pericardio perforato. Quum vero vita animalculi vltiorem inquisitionem non permittit, aliud suffocauimus aqua eodem modo, & id non solum diutius liquori letali innatare sinebamus, sed & extractum per aliquot horas niue glacieque tectum ante fenestras vrgenti gelu commisimus, partim vt omnino moreretur, partim vt sanguis intra sectionem antea nobis molestus, (quis enim omnia exigua vascula ligamento confringere potuit?) coagularetur. Remotis deinde integumentis, omnes venæ, præsertim iugulares tam externæ earumque rami circa maxillam inferiorem aliaque loca repentes, quam internæ, ad crepaturam vsque sanguine erant infartæ. Aperto abdomine pauca humiditas sanguine paululum tincta adparuit. Stomachus & intestina flatibus distendebantur, Hepar magnum & saturate rubrum. Dissecto thorace, pulmones, magis quam in priori subiecto rubebant, Auriculæ cordis multo sanguine repletæ, truncus venæ cauæ tam ascendens quam descendens, & pulmonalis, vno verbo omnes venosi canales, cruore turgidi, vacuis e contrario arteriosis. Pericardium aliquot guttas lymphæ

lymphæ sanguine leuiter tinctæ continebat. Si portio a pulmonibus abscindebatur aliquid nigricantis sanguinis effundebatur & ex portione pulmonum abscissa, digitis quodammodo pressa, parua bullulæ cum aliquo sibilo expellebantur. Cordis thalami nigricantem sanguinem adhuc tamen fluidum continebant. Intra caput, cerebrumque pultis ad instar molle, sinus cruorem vehentes omnes, præsertim laterales ramique iugularium internarum, atque temporalium purpureo liquore mirum in modum erant infarcti nullus tamen intra cerebri ventriculos reperiri potuit sanguis actu extrauafatus. Stomachus præter exiguam lactis admodum tenuis, nec adhuc dum coagulati vel grumosi, quantitatem nihil peregrini continebat. Nullibi vero, nec in pulmonum substantia, guttulam aquæ inter suffocandum immissæ, omni licet diligentia adhibita detegere licuit.

SCHOLIION.

Huic experimento instituendo nobis occasionem dedit IOH. CONR. BECKE, I, Archiatri Hasso-Darmstadiensis, ingeniosum scriptum, primo 1704. deinceps multo auctius 1709. Ienæ in 4to publicatum, *De submersorum morte sine pota aqua*, in quo experimentis variis, & ratiociniis probare conatur omnes, qui aqua suffocantur, non aliter mori, quam aeris ad respirationem necessari defectu, minime vero aquam ipsam intra pulmonum anfractus ingredi.

Spec. II.

B

B

gredi. Non diffitemur, nobis, perlecto etiam egregio opusculo, omne dubium nondum ex animo fuisse excussum, quare statim, ac nobis licuit, tentamen instituimus, cuius phænomena cum Ceb. BECKERI recensitis fere vbiq̄ue congruentia adcurate designauimus. Interea tamen hypothesis ista nobis nondum ita vniuersaliter vera esse videtur, vt nullus detur casus contrarius. Aliquando sub certis quibusdam circumstantiis, etiam ipsa aqua intra pulmonum canales & vesiculas ingredi valet, quamuis communiter sine pota aqua mori soleant submersi. Si causam mortis immediatam designare deberemus, nullam aliam quam *Hæmostasiam*, præsertim intra sinus cerebri factam, id est Morbum attonitum accusare possemus, & submersos eodem modo perire pronunciareremus, vt laqueo suffocati. Quomodo autem *Hæmostasia* & consequenter morbus attonitus, vel Apoplexia respirationem quocunque modo interceptam sequi queat, nemini, vel leuiter in arte medica versato, ignotum putamus, vt itaque huius explicatione facile supersedere possumus. Fluunt autem ex recensito casu sequentia Corollaria: I. Animalia recens nata, submersa diutius sine respiratione viuunt, quam adulta, propter foramen ouale adhuc apertum. II. Vesiculæ inter suffocandum ex ore naribusque ebullientes de expiratione quidem aeris, non vero inspiratione testantur. III. Venter in submersis mire tumidus non
aliam

aliam videtur causam agnoscere, quam æquilibrium aeris externi, & interni, hoc est intra corporis humores contenti, sublatum. IV. Aquæ in pulmonum vesiculis aut stomacho absentia, certum non præbet signum, animal demum iam vita priuatum in aquam proiectum fuisse.

OBSERVATIO III.

Rheuma Ischiadicum.

Circa mensem Februarium anni præsentis 1736. ad feminam triginta & quod excurrit annorum, habitu corporis macro, sicco ad temperamentum cholericum accedente præditam, defluxionibus rheumaticis admodum aduetam, vitæ ut plurimum sedentariæ deditam, potu parcissime utentem, & ad iram immo excandescentiam pronam vocati sumus. Ante annum fere puerpera facta puerum ipsa lactauerat, eo autem ante quinque iam menses mortuo, negotium catameniorum plane obstructum manebat, donec deinde bis quidem recurreret, sed inordinate, menses insuper erant quantitate pauci, discolors, nigri nempe spississimi, & fetorem putredinosum exhalantes, coniuncticum maximis abdominis doloribus artuum lassitudine pectoris oppressione & animi morositate. Hæc symptomata, licet admodum essent molesta, satis patienter pertulit, suis-

B 2

que

que quantum potuit consuetis negotiis præfuit, donec aliquot dies post iteratam mensium eruptionem circa 17. præfati mensis diem, aere ultra modum frigido existente, sese frigori, per plateas hinc & inde propter negotia quadam discurrendo inconsulte nimisque diu exponeret. Quare vehementissimis & vix tolerabilibus Ischiadicis doloribus in sinistro latere corripitur, quorum adeo erat impatiens, vt eos subinde execraretur, nostramque opem efflagitaret. Dicentibus vero nobis, quod ad morbum istum superandum necessario requireretur tempus, es ließe sich hier nicht blasen, respondebat, man sollte ihr entweder bald von den rasenden Schmerzen helfen, oder nur gleich Gift geben, denn es wäre ihr schlechterdings unmöglich, es nur noch eine Stunde auszustehen. Deditus ergo patienti tam impatienti pulverem antispasmodicum Hallensem in larga dosi versus vesperam sumendum, per diem autem singulis trihorii adhibendam præscripsimus Mixturem ex Ess. Pimp. Alb. Mixt. S. S. camph. Spirit. Nitr. d. cum paucis Ess. Succ. guttis permixtam, & seuerè iniunximus, vt in lecto se quietam contineret, lenemque diapnoen expectaret. Quum autem dolor ad votum vel potius ad spem post primam vel alteram dosin non statim cessaret, impatientissime sese gessit, totamque noctem plorando, clamando, morbum, medicum, medicamenta execrando transiit infomnem, & in lectulo hinc & inde se voluen-

uen-

uendo, transpirationem perturbauit, immo in totum fere interceptit, sufflaminauit, quare nobis mane aduolantibus mirum non videbatur, quod dolor lancinans sequente die sese vsque ad scapulam & axillam sinistram extenderet, quum antea tantum circa os ischii satis profunde hæserit. Fatebatur etiam se in dolente femore obseruasse maculas rubras & quasi fugillatas. Seueriori facta admonitione disposuimus tandem agram, vt per viginti quatuor horas methodum hæctenus vsitatam continuaret, & remediis hæcternis iterum vteretur licet nobis in faciem dixisset: *Ey was teufels mein Herr soll mir die Arzney helfen, mir wird ja eher schlimmer als besser davon, ich versichere sie, daß wenn sie mir nicht Rath schaffen können, so werde ich brauchen was mir einkommet, sollte ich auch gleich davon crepiren. Ich kenne hier ohnedem einen Doctor, der hat Pillen zum schlaffen, die will ich hohlen lassen, und fressen, damit ich nur den Schmerz nicht fühle.* Et quamuis ipsi demonstrarem, quod sese eiusmodi pilulis in grauiora mala præcipitatura, & paralytis, ni fortassis ipsa mors, si largiter nimis medicamentum narcoticum deglutiretur, metuenda esset, respondebat: *Maggs doch.* Quum vero iustus omnino nobis suboriretur metus, desperandam hanc feminam sibi omnino opiatum aliquod procuraturam, præscripsimus ipsi, spiritum vini largissime camphoratum & crocatum, externe linteaminibus fortiter iterum expressis

adplicandum. Post cuius per quarundam horarum spatium, continuatum vsum, non neglectis simul interius iam recensitis, dolor quodammodo mitior reddebatur. Efflagitanti deinceps plenariam restitutionem remediorum huc vsque adhibitorum suademus constantem vsum, sed frustra, constanter enim renuebat, ordinauimus itaque mixturam ex Liquor. anodyn. mineral. Hoffmanni. ʒij Ess. Pimp. alb. Cort. Cascaril. Millefol. Tinctur. mart. Ludov. aa. ʒj singulis trihoris sumendam, quam adhibet & viginti quatuor horis præterlapsis melius se habere sentit. Dedimus ergo pro eluendis primarum viarum fordibus salis Anglicani ʒviij quod duodecies cum euphoria operatur. Sequenti die vsum mixturæ anodynæ continuat, doloribus ischiadicis multum a vehementia remittentibus, & adeo tolerabilibus redditis, vt instantis sanitatis spes adfuerit. Sed en totum morbi schema iterum in peius mutatur. Vehementi namque ob leuem causam percellitur ira, quam e vestigio excipit vomitus materiæ mucidæ & biliosæ aliquoties recurrens, subsequenter doloribus colicis mirum in modum furentibus, accedente Diarrhœa mucosa striis sanguineis permixta, & molestissimo tenesmo stipata, quibus calor febrilis & omnimoda virium prostratio comites sese adiungunt, ita vt ipsa ægra & adstantes rem iam esse conclamatam crederent, nosmet ipsi symptomata periculo non vacare pronunciamus. In his itaque circum-

stan-

stantiis ad pulveres absorbentibus, Cryſtallo montana, nitro & ſalibus digeſtiuis paratos, paucisque guttulis Tinct. anod. Lancilot. irroratis, clyſteresque ſua mucilage humorum agitatorum acredinem & auctam inteſtinorum perſiſtalin quodammodo demulcentes confugi-
mus. Superato deinceps paululum primo impetu eiusque vehementia, & ſedatis enormioribus doloribus Colico-Spaſticis multaque per ſuperius & inferius guttur eieſta materia propinauimus Eff. Tonicam ex Spirit. Nitri. d. Eff. Cort. Cascaril. & Aurantior. cuius interpoſitis pulueribus temperantibus ſalinis & antiſpaſticis plenaria ſucceſſiue excepiſt fanitas, viresque nimium perditæ ſenſim ſenſimque redibant. quamuis deinceps ſuaſores fuimus. vt ratione ataxias menſium prudenti curæ ſeſe ſubmitteret, nihil tamen effecimus, putabat enim, dieſes würde ſich ſchon ohne des Medici Zuthun von ſelbſten geben, ita vt nihil aliud quam venæ ſectionem verſus ordinarium eruptionis tempus in pede admittere vellet, cuius adminiſtrationem adhuc ultra duos meſes protraxit.

SCHOLION.

Studio tam proluxi in recensendo hoc caſu fuimus, partim vt plurimis innotefcat, quam probe vexatus homo interdum ſit medicus quantaque ipſi opus patientia, ſi cum ægris tam male moratis illi res eſt; partim vt methodi medendi adhibitæ cum regulis circumſpectæ artis non

vbique ex affe conuenientis ratio redderetur. Indulgendum enim interdum aliquid est ægrotum impatientiæ. ne medici consilii perta si propriis magis adhuc nocentibus vtantur. Dolores vero descripti Ischiadici ex Rheumaticorum tantum genere fuisse nemo dubitare potuit, & ex transpiratione insensibili impedita originem traxisse per se patet eos autem in corpore sensibili & stricto vsque ad vltimum vehementiæ gradum facile posse adscendere mirum non est. præsertim si curiosa experientia DREILINGVITI, quam CLOPTON HAVERS *Of. ol. nou. Discus. IV. Cap. de Rheumatism. pag. m. 226.* edit. Lips. 1692 8 recenset de vera dolorum rheumaticorum causa diligentius consideretur. Obseruauit enim celeberrimus ille in Belgio Anatomicus, in corpore defuncto, rheumatismo antea probe vexato, & cultro demum anatomico subiecto, concretam quandam gelatinam, in superficie musculorum, duos aut tres ducatos crassitie adæquantem. Adplicemus iam hanc obseruationem & Rheumatismi, cum hæmorrhagiis alias multum habentis commercii, historiam ab illustr. STAHLIO *dissert. de Rheumatism. Hale 1707, habit.* adcuratissime textam ad nostrum casum & videbimus quod etiam hic eiusmodi humor glutinosus, spissus, & ob impeditam transpirationem repulsus, stagnans, non quidem actu in gelatinam concretus, sed ad coagulationem admodum pronus, omnis mali fomes fuerit, naturamque irrita-

ritauerit ad motus spasticos vehementissimos suscipiendos, partim vt spissum serum iterum presione fluidius redderetur, partim per consueta corporis colatoria & excretoria eliminaretur. Ratio etiam patet curæ susceptæ, & tam salium digestiuorum, quam remediorum leniter resoluentium & diapnoen excitantium adhibitorum. Quum autem eiusmodi diapnoe impatientia ægrota impediretur, necessario dolores augmenta capere, seque latius extendere debuerunt. Non diffitemur, quod tonicorum vsu nondum morbi status, materia scilicet peccante neque sufficienter resoluta, neque eliminata, postularet, sed obediendum erat animo immorigero, ne peior adhuc methodus adhiberetur. Ex ea ratione statim ac dolor quodammodo remisit, laxans exhibuimus, & quidem salinum, cuius vires præsertim in morbis spasticis semper egregias & nullo alii purganti, cuiuscunque indolis etiam sit, cedentes sapius experti sumus. Quæ reliqua sunt ad Rheuma Ischiadicum non pertinent, sed potius tanquam morbus superueniens sola causa occasionali & externa quasi, concitatus, cum priori non aliter quam e longinquo cohærebant, in corpore autem dira iam passo symptomata, insigni profecto periculo erant stipata, quod tamen etiam diuina benedicente clementia feliciter superauius. Fluunt vero ex præsentis casu sequentia sua sponte cæteria: I. Corpora stricta & anomaliis hæ-

morrhagicis obnoxia ex errore in transpirationis negotio commisso, facile incidunt in dolores rheumaticos. II. Ischiadici dolores Rheumatismum interdum causam agnoscunt. III. Quo fluidiores & minus adhuc coagulati sunt humores stagnantes, dolorum Rheumaticorum fomites, eo citius & facilius eorum resolutio peragitur. IV. Materia Rheumatismi profunde in partibus carnosis hærens non adeo spissa vel glutinosa videtur esse, quam illa statim sub cute latens. V. Laxantia salina media, propter vim deliquescentem incidentem, placide resolventem, & antispasticam humorumque orgasmum & impetum moderantem virtutem, in doloribus rheumaticis prudenter adhibita egregie conferunt. VI. Cholera per iram excitata & febris causodes rheumati superueniens periculosum.

OBSERVATIO IV.

D. GOTHOFREDI HENRICI
BVRGHARTI.

Chemosis in suppurationem transiens.

§ I.

INter periculosissimos alexque dubiæ, oculorum adfectus merito ab autoribus CHEMOSIS refertur, quæ est extremus inflammationis oculi bulbum & præsertim albugineam tunicam occupantis gradus, sæpe intra
ny-

nyctimeri spatium, nisi statim heroica opponuntur præsidia cæcitatem, immo sphacelum, & ipsam mortem accelerare aptus.

§. II.

Huius adfertur notabile præbet testimonium vir quidam quadratus, quadraginta & quod excurrit annorum, carne multa, dura, amplis vasorum tubulis præditus, insigni ac sæpius recurrenti cephalalgia obnoxius, laboriosam vitam agere adfuetus, vinumque quod adustum vocant interdum bibens.

§. III.

Talis erat, quum iam ab aliquot annis ophthalmia sanguinea oculi dextri vexaretur, ut visus fere totus huius oculi esset abolitus, palpebris videlicet tumidioribus, cornea diaphaneitatem suam cornu ad instar perdente, multisque venulis sanguine turgidis obfessa, tecta, atque hinc & inde phlyctænibus conspersa, post se cicatriculas, visum magis impediennes, relinquentibus.

§. IV.

Prægressa atrociori Cephalalgia, cuius non alias adcusare potuit causas, quam inconstantem humidam, frigidiusculam veris 1734. tempestatem, tanta oculus ægrotus corripitur inflammatione, singulis momentis eiusmodi augmenta capiente, ut cornea intra viginti quatuor horarum spatium disrumpatur, effluentibus aliquot humoris cuiusdam aquosi guttis.

Medi-

Medicus adhibitus quidem morbo obuiam ire conatur, nihil tamen quo patiens intolerabilium dolorum sentiret leuamen effecit, siue quod nimium timidus esset, præter enim solatia verbalia, funestaque præfagia parum eundem tentasse fatebantur adstantes, siue quod morbi naturam quidque faciendum non exacte cognosceret; quod postremum mihi magis videtur credibile.

§. V.

Rogatus deinceps ego aduolo, patientem atrocissimis, qui vel cogitari possunt doloribus, laborantem, inquietum, per aliquot noctes hucusque somnum non expertum, febrilibus motibus tentatum, siti continua vexatum inuenio. Palpebræ tumentes pugni magnitudinem excedebant inflammata, albuginea ultra modum, ad minoris fere digiti dimidiam crassitiam turgida, plexus vasorum inuisibili alias modo ibi repentium, propter sanguinis infarctum, & orgasticam expansionem quasi varicosus erat. Totum deinceps dextrum capitis latus ingenti tumore erysipelaceo, ad scapulam & brachium sese extendente, obsessum, De dolore demum plane furibundo, in oculi fundo atrocissime pungente, lancinante, vrente, non aliter ac si candens ferrum satis profunde, imo vsque ad optici nerui in bulbum insertionem esset infixum conqueritur.

§. VI.

Hæc erat Chemoseos status, quem periculosum

Iosum me æstimare pronuncio, vt non tantum de visu iam esset actum, sed ipsa vita alexæ exposita. Metuebam enim inflammationem parum a Gangrana distantem, interiores & profundiores oculi partes eiusque musculos iam occupantem, facile ad ipsas cerebri meninges, longa certe non erat via, serpere, ibidemque eandem fabulam ludere, & phrenesin funestius euentus excitare posse.

§. VII.

Quare statim venæ sectione larga in brachio administrata potionem ex aquis refrigerantibus, pulueribus temperantibus, multoque nitro & salibus digestiuis maritatum præscribo, eaque vt singulis horis interne cochleatim adhibeatur iniungo, externe sacculos ex herbis discutientibus cum camphora mixtis siccos & calidos impono, non neglectis linteaminibus spiritu vini largiter crocato & camphorato tinctis, & fortiter iterum expressis: Quorum diligenti vsu, mox quodammodo pacatior redditur dolor, & leuamen licet admodum leue sentitur.

§. VIII.

Quum autem inflammatio parum remittere, cornea vero, circa rimam, vbi rupta fuerat, suppurationem minitari videretur, egoque præterea partim ad spectu quantum licuit, partim immisso per rupturam stilo obseruarem, lentem chrySTALLINAM situm suum notabili modo mutasse, multumque anterius versus corneam

neam

neam processisse, eandemque hac ratione tamquam solidius præ reliquis oculi humoribus corpus tarde nimis suppuraturam, & exinde inflammationem periculo & molestia plenam futuram crederem; forficula huic operationi apta rimam corneæ præsentem sufficienter dilatare nullus dubito, ut lentem eo facilius adhibito hamulo extrahere liceret. Quo facto, ultra dimidiam consuetæ molis partem inuenio eandem iam consumptam, & antè suppurationem corrosam, & omni fere perspicuitate priuatam. Referebat enim globulum ex succino albo quodammodo flauescente tornatum.

§. IX.

Hac peracta operatione, & remediis, quibus adhuc, interposita tamen salis anglicani vnicia, mixtura diapnoico-resoluens addebatur, paulo ante recensitis, vltro adhibitis, patiens notabilem dolorum remissionem experitur. Tumore palpebrarum & genæ erysipelaceo multum subsidente, repeto venæ sectionem, & externe cataplasma ex alumine crudo, Tutia, saccharo saturni, camphora & albumine oui paratum suadeo, calori obicem mire ponens, post cuius sedulo repetitum usum albuginea etiam detumescere incipit.

§. X.

Cornea satis bene, sed etiam satis tarde suppurabat, pus erat album, probe coctum, sed admodum crassum & tenax. Quum au-

tem

tem hic loci remediis alias suppurationis promotioni dicatis & digestiuis vocatis, propter metuenda dolorum augmenta, & partium nervosarum naturam eiusmodi vinctuosa plane non ferentium, nullus esset locus; vsus tantum sum essentia quadam balsamica, crocata, decocto ex herbis vulnerariis abstergentibus parato, diluta, per syringam aliquoties tepide injecta, externe margini vulnusculi cornex pulverem ex saccharo albissimo, probatoribus quibusdam balsamicis, cum saturninis maritatis compositum, adpersi.

§. XI.

Hac methodo intra decem & quatuor dierum spatium suppuratio terminabatur, coalescente incisione cicatricula induceta. Ita vt post quatuor septimanas patiens in totum esset restitutus, excepto visu, quem nulla mortalium ars & dexteritas rebus sic stantibus, reddere valuit.

OBSERVATIO V.

D. GOTHOFREDI HENRICI
BVRGHART.

Cbemosis alia feliciter sanata.

§. I.

Idem ille vir mense Aprilii 1736. licet paulo antea æquinociali venæ sectione, pilulis-
que

que laxantibus esset vsus, subito in sinistro oculo tentatur ophthalmia sanguinea, tam præcipites faciente gressus, vt intra viginti quatuor horas in Chemosin copiosis phlyctæribus stipatam degeneraret.

§. II.

Statim vocatus dedi Vnciam integram salis Anglicani, præter vim laxandi egregia insuper orgasmum sanguinis moderante virtute præditi & post aliquot horas, cucurbitulas post aures & in brachiis adhibui, quæ probe & profunde scarificatæ multum sanguinis elicuerunt. Versus noctem pulueres temperantes & nitrosos porrigo, parum tamen his remediis profeci.

§. III.

Postera die, inflammatione nihil imminuta, doloribus eundem gradum retinentibus, venæ sectionem in brachio satis largam iubeo, continuatis internis anteorgasticis, temperantibus, interpositis resoluentibus mitioribus, & leniter diaphnoicis, quibus externe liquorem quendam saturninum in eiusmodi adfectibus egregiarum virium, si prudenter adhibeatur, adiunxi.

§. IV.

Hoc modo morbi impetus & vehementia se multum moderari patitur, quare interiecto tandem die quum inflammatio ad votum nondum tota cedere vellet, in corpore quadrato & plethorico venæ sectionem in pede tam euacuandi quam

quam deriuandi scopo repeto. Hæc confilia tam bene cesserunt, vt patiens intra septendium plenariæ sanitati esset restitutus, visusque, de cuius recuperatione, exemplo proprio perterritus, iam desperabat, a phlyctænibus periculose tentatus conseruaretur, eiusdem nullum dispendium pateretur, vestigiis videlicet a phlyctænibus relictis facile conuenientibus præfidiis obedientibus.

§. V.

Prout autem contraria iuxta se posita magis elucescunt, ita etiam duplex hæc Chemoseos recensio vsui esse potest, ad demonstrandum, quantum situm sit in eiusmodi periculosorum & ad funestum euentum properantium adfectuum tempestiua & heroica curatione. Dicitur quidem, & profecto verissime dicitur, *canem festinantem cæcos parere catulos*; quod prouerbi-um si medico præcipitem curandi rationem sine ratione adhibenti, morbosque non per gradus sed saltus debellanti adplicare placeat indies nouis veritatis testimoniis confirmatur. Quum vero contrariorum eadem sit ratio, palam est, qui FABIVM cunctatorem sibi imitandum proposuit, vbi principiis est obstandum, ne mala per longas inualeant moras, hunc sero nimis parare medicinam. Nam fronte tantum occasio capillata conspicitur, posthac vero calua. Si vllus itaque morbus requirat, vt festinanter ipsi obuiam eatur, certe Chemosis re-

Spec. II.

C

quirit,

quirit. tanquam de momento in momentum in peius ruens, pauloque post omnia artis præsidia eludens, oculosque æternis afficiens tenebris. Nemini tamen confusam, licet concitatam remediorum adplicationem suadeo, prudentia circumspecta, exercitatio & vsus, omnem, vt vbique, hic absoluunt paginam.

§. VI.

Chemosis enim in corporibus plethoricis facile in consuetudinem degenerat. & sanguine vel leuiter commoto adparet. Chemosis potius internis præsiidiis orgasmum temperantibus, primario vero sanguinem actuali subtractione ventilantibus, quam externis, hic parum efficientibus & pretiosum tempus, si nimium illis fidamus, perdere aptis tractanda. Venæ sectio plus simplici vice repetita, & larga quantitate sanguinem educens, vnicum fere est Chemoseos remedium. Externa remedia tum demum egregium in chemosi vsum præbent, quando inflammatio per artificiosam hæmorrhagiam, maximam partem imminuta est.

OBSERVATIO VI.

Febris causodes Ictero critico soluta.

FEMINA triginta & quod excurrit annorum, habitus corporis strictioris, temperamenti Choleric-Melancholici, menstruorum anomaliis diu iam vexata, semel ante aliquot annos ex
fur-

furius concubitu puerpera, exinde semper
 speculabunda, lapsusque commissi pœnitentia
 quotidie cruciata, ad iram aliosque mentis ve-
 hementiores motus (verbi causa, autochei-
 riam, quam aliquoties tentauit) pronissima,
 incidit 1735. Mense Nouembri, prægressa
 excandescencia, tacita quidem & suppressa,
 in syncopas recurrentes (quæ tamen, re adcu-
 ratiùs pensitata, nil aliud erant quam leuiores,
 vel potius interiores & hysterici insultus epilep-
 tici) quas excipiunt vomitus biliosi virides
 & omnium virium prostratio. Altero die post
 primam hanc fabulæ scenam, molesto horrore
 corripitur patiens, subsequente astu vehemen-
 tissimo, & intolerabili præcordiorum anxietate
 & ardore (quem pro ventriculi superioris ori-
 ficii ab acedine bilis erosi inflammatione ha-
 buimus) agrypnia, & leuioribus deliriis, vomitu
 bilioso, intercurrentibus horripilationibus
 adhuc continuante. Hac morbi facie voca-
 mur, quem febrem causticam, siue biliosam,
 cholera ab efferuescente bile exorta superue-
 nientem esse iudicamus, & insigni periculo sti-
 patam, euentusque dubii prædicamus. Urina
 erat limpida, flaua, pauca, sanæ simillima, pul-
 sus durus, concitatus & inordinatus, mens
 minime quieta, mortem sibimet ipsi & prædi-
 cens, & metuens, bono tamen iubemus esse ani-
 mo. Ordinauimus pulueres ex absorbentibus
 cum nitro, quos tamen statim iterum vomitu
 reiecit, quare potiunculam ex aquis diapnoicis,

additis diaphoreticis fixis, Chryſtallo montana, tartaro vitriolato, & nitro præſcripſimus, quam retinuit, & quum per diem adhibuiſſet, imminutum quodammodo ventriculi ardorem ſenſit, continuantibus tamen anxietatibus. Quum poſtea, die tertia cutis hætenus arida, & fortiter tenſa, laxior & quaſi humida adpareret, vrina inſuper tinctor nubeculam monſtraret, vomitusque plane ceſſarent; propinauimus mixturam diapnoico reſoluentem ex Eff. Primp. alb. Mixt. S. S. camph. aa. ʒij Spirit. Nitri dulc. ʒi. quam ſubſequutus eſt die quarta placidus mador cum aliquo patientis leuamine, & anxietatis præcordiorum remiſſione, Continuatum uſum potiunculæ verſus noctem, & per diem mixturæ ſuademus. Die quinta, quum aluus eſſet conſtipata, & dolores torminoſi abdomeni inſeſtarent, clyſterem bis iniicere curauimus, quo adhibito patiens inſignem ſymptomatum omnium imminutionem experitur. Die ſexta vrina adparente obſcure rubicunda (Braunroth) chartamque albam ſtauedine croci ad inſtar tingente, inſtantem prædiximus Icterus, die ſeptima ſtatim ſecundum prognosticum ſeſe exerentem. Dedimus ergo iterum pulueres ex chryſtallo montana, ocul. Cancr. Rad. Curcum. & Tartar. vitriol. cum Elixirio ex radicibus reſoluentibus amariuſculis parato, & liquor. Terr. Fol. Tartar. maritato, ita vt Elixir per diem, pulueres verſus noctem deglutirentur. Die nona, hac methodo continuata, vrina redditur turbida,

da,

da, sedimentum copiosum flauissimum (Wie gestoffene Gurcuma) ad matulæ fundum deponens. Decimo die, postquam motus febri- les plane iam cessarent, pilulas laxantes, ex amar- is & purgantibus paratas, nobis longo vsu pro- batas, porrigebamus, post quorum vsum & ope- rationem, se admodum leuatam pronunciauit, ita vt post decimum quartum diem quodam- modo sua cœperit tractare negotia, licet vires adhuc essent admodum delassatæ, & color au- reus cutem, quamuis non vt ab initio, fœdaret. Insistebamus itaque vsui puluerum & Elixirii, & die xvj. drachmas vj. salis Anglicani suasi- mus, curamque demum per mixturam tonicam ex Ess. Cort. Cascaril. Millefol. Tinct. Mart. Ludou. part. æq. compositam clausimus & post tertiam septimanam patientem plenarie restitu- tam dimisimus.

SCHOLION.

Talis est præsens casus, vt scholio vix egere videatur, quare parcendæ chartæ causa, nil præ- ter quædam corollaria addimus. I. Chole- ra post iram suppressam exorta periculosa. II. Febris causodes cholæræ superueniens, peracuta & maxime dubii euentus est. III. Icterus febrî cholericæ critice superueniens bonus.

OBSERVATIO VII.

Purpura rubra Pleuritidi superueniens letalis.

Vir quidam quadragenarius, strictioris & ficcioris habitus corporis, multo labori itineribusque pedestribus adfuetus, nullam fere diætæ rationem habens Anno 1735. sine Maii Wartebergam iter suscepit, & nundinis ibidem bouum emendorum causa, sanio nempe fuit. interfuit, tentatus iam antea tussi magna cum multa materiæ peccantis excretionem. Postquam se, in itinere tamquam semizgrotus admodum fatigauit, & eundo calefactus haustum partim frigidæ cereuisiæ, partim vini adusti aliquoties inconsiderate adsumsit, maiorem pectoris angustiam sensit, & demum reuersus de vehementi artuum omnium lassitudine atque doloribus punctoriis, in pectore semper augmenta capientibus, conquestus est. His statim superueniebat ingens calor continuus, singulis diebus versus vesperam auctior factus, post mediam vero noctem quodammodo remittens, angustia pectoris fit maior, cui iungitur dolor punctorius respirandi tempore adfligens, tussis sicca. Quarto die proprio consilio venam medianam secare fecit, cruor eductus, spissus fuit, niger, & quasi adustus, in superficie albus, quasi purulentus, doloribus nihil remittentibus, tussi tamen materia sanguineis striis mixta, & qua-

qua-

quasi adusta reici cœpit. Quinto die vocamur, vrina erat rutila, turbida. Morbum periculi plenum pronunciamus. Dedimus leniter resoluentia, expectorantia, & pulveres temperantes diapnoicos, externe adhibitum hæctenus erat euporiston ex pulte hordeacea butyro mixtum, cataplasmatibus ad instar pectori calide impositum, quod, quum suppurationi non esset inconueniens, & purulentæ materiæ excretionem promoueret, aliquoties repetendum permisimus. Sexta die paululum melius se habuit patiens, excretionem materiæ purulentæ per tussim bene procedente, pulsus celer, fortis, æqualis tamen, sitis magna. Septima die omnia in peius ruere videntur, excretio nempe purulentæ materiæ cessat, vt æger suffocationem mortemque metueret, vrina fit clarior, ordinauimus infusum theiforme, ex herbis resoluentibus expectorantibus, cuius vsu expectoratio iterum reuocabatur. Octaua die patiens sese optime gessit, hilaris erat & futuræ restitutionis spem concepit, vrina magis fit clarior, coloris fere citrei, sanæ similis, cum parua vix visibili nubecula, excretio per tussim materiæ albæ, mucidæ magis quam purulentæ, bene, & libere procedebat, dolor pectoris internus punctorius fere euauit, & leuiter tantum accedente tussi adflegebat. Motus febriles aderant adhuc, sed mites, alius hæctenus clausa sua sponte soluebatur. Nos tamen his halcyoniis parum fidentes, vsum remediorum hæctenus cum fru-

Etu adhibitorum continuatum suademus. Die nona febris notabili modo intenditur, prægressa nocte admodum inquieta, insomniis & paoribus vires affligentibus, qui reditum promittere videbantur, vno quasi momento omnes prosternuntur, & versus vesperam Purpura rubra superuenit. Die decima, exanthemata purpurea copiosius efflorescunt, totamque cutis superficiem tegunt. excretio per tussim plane sufflaminatur, patiens tamen a doloribus punctoriis antea molestissimis liber manet, vrina naturali simillima, pauca, tenuis, accedunt circa vesperam calor vehemens, sitis clamosa, leuiora deliria, pulsus erat celer, vehemens & subinde ferratus, patiens adspectu toruus. Instantem prædiximus mortem, quæ etiam, vndecima die, sexta videlicet Iunii, ante meridiem, accedente quasi catarrho suffocatiuo, satis placide sequuta est.

SCHOLION.

Statim quum nostræ curæ traderetur æger, hanc pleuritidem omnis malignitatis expertem non iudicauimus, partim quod patiens in loco quodam, Warteberga scilicet, eiusque confiniis, in limitibus Poloniæ fuerit, vbi eo tempore febres petechizantes epidemice adeo furebant, vt multis ipsius pestiferæ luis metum incuterent, partim quod quædam symptomata adparerent, quæ Pleuritidi benignæ ordinario familiaria non sunt, qualia fuerunt omnium virium mox
ab

ab initio simultanea prostratio, ita vt æger sine periculo syncopes vix caput erigere posset, vrina cito nimis clara reddita, naturæ quasi, circa excernendam per tussim materiam, cunctatio, animus meticulosus, demissus. funesta sibi prædicens, quæ coniunctim sumpta, aliquid, ni fallimur, altioris indaginis post se habere videbantur. Exinde nos, licet iam ipse patiens omnem restitutionis spem conceperit, nunquam fidere morbo voluimus, & exitus etiam acta metumque nostrum non vanum fuisse satis probauit. Purpuram ipsam, quamuis sub rubra tantum larua adparuit, statim pro maligna habuimus, quam sententiam etiam præ reliquis dies decimus confirmauit, vbi adeo rubebat, vt variis in locis, præsertim pectore & dorso violaceum præ se ferret colorem, quare eandem visis reliquis symptomatibus, quibus stipata fuit, letalem diximus. Immo alii iam practici obseruarunt, teste ALBERTI *Lex. Med. Real. part. II. voc. Pleuritis pag. 854. Purpuram pleuritidi superuenientem fere semper letalem esse.* Fluunt vero sequentia consuetaria sua sponte ex præsentia casu. I. Homines ficcicris temperamenti, strietiorisque carnis alias actualibus hæmorrhagiis, siue artificiales sint, siue naturales, non adsueti, facile pleuritide, corripuntur. II. Si pleuritidi, morbo per se periculoso, malignitas quædam immisceatur, mali euentus res est. III. Malignitas pleuritidi iuncta, raro per sputi purulenti eiectionem simul excernitur, sed tristio-

rem libenter ludit fabulam. IV. Exanthemata maligna pleuritidi superuenientia, vt plurimum funesta. V. Halcyoniis ergo morborum malignitate infectorum nunquam fidendum, quo melius enim sibimet ipsi se habere videntur aegroti, priusquam scilicet morbus plenarie fit solutus, eo periculofior eorum status est. VI. Vrina, in morbis malignioris naturæ, sanæ similis, mali est præfagii. VI. Malignitas per contagium communicata ratione dispositionis corporis, Protei ad instar, varium induit habitum, variam formam, seseque mire interdum post consueta symptomata obcultat, ægrum medicumque primo intuitu deludit.

OBSERVATIO VIII.

D. CHRISTOPHORI TIMOTHEI
BVRGHART.

Physici Prouincial. Reichenbacens.

Experimenta Sympathetica.

Multifarias subministrant indices ægrotorum meis consiliis adiutorum ab aliquot triginta annis adseruati, obseruationes: *de viribus pulueris sympathetici, ex vitriolo Cyprio ad mentem DYGBAEL preparati, in hæmorrhægiis tam actiuis, quam passiuis, ex quibus sequentes præ reliquis communicatione dignas æstimo.*

Iuue-

Iuuenis eufarcos. fedecim annorum. temperamenti sanguinei, admodum plethoricus, carnem habens spongiosam, mente ad vehementiores motus cito tamen transeuntes, prona præditus, multiuorus, vinum interdum bibens, & vel medicori corporis aut animi motu prægresso, narium hæmorrhagia larga tentatus, alias sanus, vegetus, post frequentatas nuptias, & saltandi exercitium tam vehementi narium stillidie corripitur, vt intra viginti quatuor horas plus quam sex vel octo libræ cruoris effluerent, omnes simul vires prosternerentur, facie pallefceret, & quodammodo erectus, syncope tentaretur. Aduocatus anteorgastica nitrosa, sanguinis efferuescentiam temperantia, largissime offero, sed in cassum, leniora adstringentia, species nempe de Hyacintho, additis narcoticis MP. scilicet de Cynoglossa, externe ligaturas in usum voco, his vero nihil proficiens, demum venæ sectionem reuulsoriam administro, sed omnia frustra, sanguis enim stillare pergebat, ita vt gutta guttam sequeretur. Ad puluerem demum sympatheticum confugio, eiusque satis bonam portionem in aqua frigida dissoluo, & huic aquæ linteamen cruore madidum (ein frisch vollgeblutetes Schnuptuch) immitto, in eadem vbi patiens iacebat camera, hoc vix facto patiens de sensu quodam frigoris vel horro- ris totum corpus occupante conqueritur, & e vestigio sanguis quasi incantamento retentus, stillare cessabat, immo guttæ e naribus cadentes

tes

testanquam glaciei coni pendebant. Linteamen per aliquod tempus aquæ innatare permisi, patiente semper frigus sentiente, & demum extractum in aere temperato siccabam, ægrotumque conuenientibus remediis, lenioribus videlicet resoluentibus, anteorgasticis, temperantibus, analepticis, & iusculis nutritiuis, aliisque ex culina petitis tractaui, donec sensim sensimque vires recollegerit. Notandum est hunc iuuenem, post duos annos iterum in furentem talem hæmorrhagiam incidisse, vt medici consilium implorare necesse habuerit, medicus tamen adhibitus venæ sectionem, quam ipse patiens vehementer vrgebat, constanter reiecit, dicens, ob er sich denn vollend durch die Aderlässe das Blut aus dem Leibe zapfen wollte? da es ja vorher starck genug lieffe, das wäre thöricht, wenn das Wasser in einem Teiche durch den Damm riesse, und man wollte an einem andern Orte ein neues Loch machen, damit es am erstern sollte aufhören zu lauffen. Dedit ergo quædam remedia interna, his autem nihil efficiens, liquorem quendam per Syringam in nares iniecit, quo quidem in instanti sanguinis fluxum cohibet, ita tamen vt patiens post aliquot momenta conuulsus moriatur. Probe post mortem examinato cadauere, fauces sanguine coagulato, naresque infarctæ inuentæ sunt, manifesto testimonio, cruorem, quum effluxus per nares remedio styptico: (quod fortassis WEBERI liquor stypticus, vel aliud

aliud medicamentum aluminosæ & vitriolacæ profapix, nisi ipsemet spiritus vini rectificatissimus fuerit) ipsi obclusus esset, in asperam arteriam esse illapsum, ibi itidem coagulatum, & patientem misere suffocasse. Egregie me hercle curatum!

Alterum non minus curiosum est experimentum. Alutarius quidam mediæ ætatis, corpore procerus, carne strictiori præditus, neque macer neque corpulentus, ampla vascula habens, alias sanus, vinum interdum adustum bibens, mente hilari gaudens, in iuventute copiosis & largis narium hæmorrhagiis obnoxius, odontalgia lancinante corripitur, præsertim vnus carie iam exesi dentis, quem, vt molestus dolor profligaretur, per chirurgum, operationis huius satis gnarum extrahere permittit. Euulso dente, tam enormis sequitur hæmorrhagia, vt paulo post patiens in syncopen incidat. Hoc sanguinis stillicidium, per aliquot horas quum durasset, variis quidem a Chirurgo tentatur præsidiiis, sed in cassum. Quamuis enim per vnam vel alteram horam cohiberetur fluxus, statim quum vel loqueretur patiens vel maxillam inferiorem, licet e superiori dens fuerit extractus, paululum moueret, nouo eoque vehementiori impetu recrudit. Hæc fabula per triduum iam ludebatur, donec æger omnibus fere viribus orbatus, omniaque, quæ vel chirurgia sistendo sanguini subministrat, ne ex-

ce-

ceptis quidem cauteriis actualibus, passus. me in auxilium aduocat Testari possum, quod per illud breue temporis spatium uisitatione consumtum aliquot uncias cruoris per os reiecerit: Quum igitur coniciebam, arteriæ cuiusdam ramum satis amplum esse laceratum, omniaque iam adhibita essent in cassum, quibus vel aliqua spes inest, & certo ægrum, si ars sanguinis fluxum sistere non posset, purpuream demum vomiturum animam, ad ultimum, sympatheticum scilicet, tentamen confugio, & linteamen sanguine madidum mecum sumo; idque in aquam frigidissimam, puluere Dygbæano maritatum, immitto. Paucis momentis postea uxor ægri aduenit, dicens, sanguinem non ultro fluere, & maritum sensum frigoris per totum sentire corpus, primario in alueolo dentis. Iniungo, ut se quietum contineat, & neque loquatur, neque per aliquot horas præter potiunculam analepticam, & iusculum vires restaurans quidquam sorbeat, vel adsumat, ne scilicet opus haberet, mandibulas multum exercere. Linteamen per duodecim horas, in cado aqua pleno sympathetico remedio acuata, natate, deinceps extractum in loco quodam temperato aeri per uio paulatim ficcare sino.

SCHOLIÖN.

Si quæ sunt remediorum genera, quæ inter Medicinæ proceres, turbas imo procellas excitarunt, certe sympathetica sunt. Multi nempe
ea

ea ad cœlum laudibus euexerunt, haud pauci e contrario eadem ad infernum conuiciis præcipitarunt. Multi multa eis adscripserunt; multi nihil. Multi diuina & cœlo quasi delapsa, multi superstitiosa, imo non sine cacodæmonis ope vsus, si forte quendam producant, præstantia vocarunt præsidia. Nec contentionis ferra tantum inter Medicos, atque Philosophos trahebatur, sed & ipsi Theologi manum admouebant, ita vt facilis labor esset quasdam paginas, recensendis solum scriptis, hac controuersia multis iam annis hucusque agitata, natis infumere, si nobis liceret aut liberet, curarum sympathetarum historiam litterariam texere. Videat, qui velit, varia in LIPENII *Biblioth. Med. MERCKLINI LINDENO renouat. STOLLII Histor. Med. Litterar. THEATRO SYMPATHETICO*, Confer. ETTMULLERI *Institut. Sect. II. Class. IV. opp. Tom. I. pag. 404. seq.* Edit. Frft. 1696. fol. *Breslauische Samlungen 1719. Mens. Ianuar. Class. IV. Art. XI. §. 1. pag. 76. seqq.* Ratio vero, quod eiusmodi curationes tam differentes peperint sententias, nulla videtur esse alia, quam quod comprehendi non possit, quomodo suos præstent effectus. Qualitates veterum occultæ facile quidem rem olim expediebant, quum vero adeo sint occultæ, vt vix definiri nisi ad modum MOLIERI queant, *quia est in illis virtus operatiua, cuius est facultas talia præstare*, nostro æuo vbi doctiores cuncta, quæ aliorum sensuum obiecta sunt, manibus palpare,

pare, aut oculis & naribus percipere, subolfacere gestiunt, merito occultantur. Si autem dicendum quod res est, nostrates interdum naturiores philosophi, omni nisu nil aliud agere videntur, quam quod eruditi superiorum sæculorum egerunt, hoc est, magno conatu, vndique corraforum, barbarorum interdum aut recens exclusorum, verborum pompa, sesquipedalibus ratiociniis, artificiosissimis & haud raro adeo subtilibus demonstrationibus, vt in extremo acus apice saltare valerent, se, omnibus demum minutiis allegatis, atomis captis, monadibus compactis, vniuersali mundi spiritu turbato, incantato, astrali archæo implorato & in auxilium coacto, Gnomis, Sylphis, Gas, Blas, Macrocosmetore, Duelech ex centro terræ vel ipso orco ad superas auras productis, aliud nihil præstasse monstrant, quam se fumum ventumque vendidisse, fecisse, magnas & difficiles nugas peperisse, ac tandem tacite fateantur se rem eiusque fiendi modum æque vt reliqui ignorare, nescire. Inter omnia tamen, vt iterum in viam reuertamur, nullum aliud remedium sympatheticum plures inuenit fautores, quam *Puluis DYGBAEI* κατ' ἐξοχὴν *Sympatheticus* vocatus; & ex *Vuriolo Cyprio* vel *Hungarico*, vrente *Sirio* per salis radios calcinato paratus; cuius vsus & hodierni Practici non plane auersantur. *Celeb. STAHLIVS Colleg. Casual. maior. Cas. II. pag. 54. & Cas. VI. pag. 108.* publice testatur, se aliquoties in stillicidio narium

rium cruento, Hæmoptysi, aliisque eiusmodi hæmorrhagiis spontaneis, multa magnaque effecisse: Ich kan, inquit, von dem in den Sonnenstrahlen, in den Hundstagen calcinirten, oder nur weiß angelauffenen nicht aber in Pulver verwandelten Vitriolo versichern, daß ich nicht ein, sondern vielmahl einen augenscheinlichen Effect gezeiget, den man gewißlich keinem andern Mittel als diesem allein zuschreiben kan, da andre Mittel hergegen, wenig, oder gar nichts, so der Mühe werth gewesen, ausgerichtet hätten. Hæc, recensitis quibusdam historiis, vltro confirmat. Cæterum casus a Celeb. AVTORE nobis communicatus, de hæmorrhagia in eodem subiecto recurrente, & per Medici vel imperitiam, vel hypothesium speculatiuarum a rei natura alienissimarum amorem, funestum euentum sortita, admodum notabilis est, & ab omnibus negotium actiuarum sanguinis excretionum, aut non exacte perspicientibus, aut ex præiudicata opinione parum curantibus sæpius legi, relegique & diligentius considerari meretur. Alter casus de hæmorrhagia passiva feliciter per puluerem sympatheticum cohibita, maiore admiratione dignus nobis videtur. Male non coniecit Experient. AVTOR tubulum arteriosum, & quidem ampliorem, quam his locis ordinario esse solent, disruptum fuisse, quia si venosus tantum, etiam satis capax, fuisset, per remedia styptica acida, aluminosa, imo & ipsum ignem forte sanguinis fluxus, aut

Spec. II.

D

to-

totus aut saltem per notabile temporis spatium, se refrenari passus esset. Molestia non tantum plenas, plane enormes, periculosas, imo & letales cruoris effusiones, per denium euulsionem excitatas, alii etiam obseruarunt, vt legere est apud FAVCHARD *Chirurg. Dentiste, Part. I. cap. XXXIII. obs. VII. pag. 279. seqq.* edit. Germ. Berol. 1733. 8. Notandus adhuc est frigoris sensus ab ægris post experimentum sympatheticum perceptus, quem etiam alii instituto aqua frigida tentamine notarunt, qui fortassis vsui esse potest phaenomeno, eiusque fiendi modo, explicando. More demum nostro consecutaria sequentia ex præsentī casu eliciuntur; I. Remedia sympathetica, non omni destituta videntur energia, licet quomodo agant, adeo clarum huc vsque non sit, nam ab ignorantia modi, ad negationem rei conclusio non procedit. II. Remedia sympathetica tunc demum bene adhibentur, quando nota alia prius tentata sunt. III. Quo sensibilia sunt subiecta, eo certius a sympatheticis auxilium sperandum. IV. Actio pulueris sympathetici videtur fieri, partes nerveas fibrosas constringendo, & fluidas spissescendo vel coagulando. V. Hæmorrhagiæ præsertim actiuæ omnium optime sympatheticis obedire solent, quare VI. ne æger in maius malum præcipitetur, caute & circumspecte in vsum vocanda. VII. Crassa vero sistentia, adstringentia sanguinem tantum coagulantia, (præsertim externe adhibita) nec impetum eiusdem mo-
de-

derantia, aut aliunde deriuantia, a prudenti medico numquam in narium hæmorrhagia secure adhibentur.

OBSERVATIO IX.

Botanica Quædam.

INter rariora & iucundiora luxuriantis naturæ specimina, Botanophilis exhibemus **LILIVM** illud, hic Wratislaviæ 1736. sub initium Iulii mensis in hortulo quodam, ad Viadri ripas sito florens & ex vnico caule duarum vlnarum longo, & tres digitos transuersim lato, coloris ex fusco viridis, paruis iucunde virescentibus foliolis hinc inde obfito, **CII.** perfectos flores albos, in coronæ formam dispositos emittens. Vid. Tab. I.

Hinc addimus experimenta duo, circa exoticarum plantarum procreationem animi gratia, instituta, & quidem circa *siliquam dulcem, & Abel-Moschi.* Semina prioris, **SILIQVAE** videlicet **DVLCIS**, apud nos Johannis Brod vocatæ, vbique nota, aqua tam diu macerauimus, donec germen emittere inciperent, quod propter eorundem lapideam fere duritiem, vix ante tertiam septimanam factum est, deinde ea terræ bonæ nigræ sabulo paululum mistæ commisimus. Lata postmodum crescere foliaque Buxo admodum similia emittere inceperunt, caule prius rubro, ligneo successu de-

D 2

mum

mum temporis facto, cortice griseo tecto. Amat planta mediocrem humiditatem, multumque caloris. Figuram addere nolumus, quia DODONAEVS *Hist. Stirp. Pempt. VI. lib. II. cap. XXIX. p. m. 787.* fatis adcuratam dedit. ZWINGERVS *Theatr. Botan. lib. I. cap. XXXVII. pag. 82.* itidem delineationem exhibet, addita simul florum imagine, vbi tamen notandum, quod folia in suprema cuspide rotundiora picta sint, quam par est, & hac ratione DODONAEI icon magis ad archetypum accedat.

ABEL-MOSCHI, *Bamia, Ketmia, Sabdariffa, Alcea Indica*, vel *Aegyptiaca* alias dicta, semina, Biesamkörner nobis vocata, itidem per aliquot dies aquae, ad crepaturam fere, immissa, in terram bonam seuimus, quae etiam germina post quoddam temporis interuallum emiserunt, in caulem bicubitalem deinde excrescentia, coloris ex fusco purpurei. Folia sunt magna, pentagona, pedem fere longa & lata, septem eminentioribus nervis distincta, Maluae odoratae non adeo dissimilia, serrata; petiolus, cui inhaerent, etiam admodum longus, & fere perpendiculariter cauli insistens. Folia pariter ac caulis sunt aspera, & quasi villosa (so rauch als Sammet anzugreifen). Color foliorum in superiori parte obscurior, quam in inferiori. Iucundissimum autem efficiunt spectaculum, granula, vel vesiculae potius, succo quodam lento, aquae ad instar diaphano, plenae, per singulos fere poros,

CO-

copiosius tamen in inferiori foliorum parte, & in caule egredientes, vt planta herbæ, Ficoides (Eiß- oder Glas-Kraut) dictæ, non multum ab-fimilis, vel pruina tecta aut saccharocando ob-ducta videatur. Hactenus nondum floruit. Adscribunt tamen Botanici eidem florem cam-paniformem & quinque foliis latis aurei colo-ris, maculisque purpureis notatis constantem. Amat præterea terram pinguem, humidam, aut aqua sæpius irroratam. Quum autem plantæ delineatio rarior apud botanicos obcurrat, fi-guram exhibemus Tab. II. Plura legenda sunt in VNIVERSAL. LEXICO Tom. I. pag. 93. seq. voce. Abel. Mosch, & apud L'EMERY Histoire des Drogues pag. m. (Edit German. Lipsf. 1721. fol. excuf. sub. Tit. Material-Lexicon) 148. voce Bamia.

OBSERVATIO X.

Meteori Ignei, Mense Octobri Anni 1736.

visi, brevis delineatio.

Missam facile potuissimus facere descriptio-nem phænomeni, die 28. Octobris circa horam quintam pomeridianam, per omnem fere Silesiam, & vicinas quasdam prouincias ob-feruati, quia Dn. D. LINDNER, celebris & felix apud Hirschbergenses Medicus, *Mens, Decemb. 1736. Art. III. pag. 545. seq. Der Schlesiſchen*

D 3

Ge

Gelehrten Neuigkeiten, tam adcuratam dedit huius globi lucentis historiam, vt quod addi posset, nihil obcurrat. Quum vero nobis, ab AMICO. eo tempore in vicinia Sabothi degente, delineatio meteori communicata, eamque hic inferendi animus fit, breuem addere volumus narrationem, itidem ab eo profectam. Prædicto die, vento ex regione Austroriente versus austrum fiante, atque Sudetum cacuminibus, crassis & obscuris nubibus obsessis, ex his, quasi vno impetu, nubecula candida, & paululum lucida, sese separare, altiusque ascendere videbatur. Hæc nubecula non exacte globosa, sed quodammodo oblongæ figuræ, cucurbitæ ad instar, ex improviso magis magisque lucere, imo candere, seque satis celeriter, non tamen fulguris ad instar, sed longe lentius versus regionem oppositam, id est septentrionocciduum mouere obseruabatur, emisso albo, & post se relicto radio, viam quasi notante. ita vt non male cometam caudatam repræsentaret. Post quædam momenta, globi ignei adspectu per Vulturii cacumen nobis furato, ingens fragor, quodam modo obtusus vel tonitru. (ein ungemein starcker aber etwas hoch klingender Donnerknall, der einem etwas von weitem her gehörtem Canon-Schuß gleich) aliquot minuta durans auditum est. Figuram simul cum ipso loci, quo obseruatio facta, situ exhibet Tab. III. vbi literæ

a) Mon-

- a) Montem Culinæ den Küchen-Berg,
- b) Vulturium, den Gevers-Berg, Sabotho vicinum,
- c) Sudetum iuga crassis nubibus tecta,
- d) Monticulorum Stofchendorffensium partem,
- e) Ipsum meteoron,
- f) Relictam quasi caudam lucidam, denotant.

SCHOLION.

Hoc meteoron, raro alias sole adhuc supra horizontem constituto videri & a supersticiosa plebe communiter *Draco volans*, der Drache, vocari solitum, sententiæ SCHEVCHZERI *part. I. der Natur- & Wissenschaft cap. XXV. §. XI. seq. pag. m. 192.* defensæ fulmen sub globi igni-nomi forma (wie eine Carcasse, Bombe, oder Granate) sibi concipientis, pondus aliquod addere videtur. Tempus interea in explicando per causas naturales phænomeno terere nolumus, quum hic labor Physicæ doctrinæ gnaris non adeo difficilis, nobisque iam a prælaudato Dn. D. LINDNER occasio prærepta sit, qui tam egregie hac de re ratiocinatus est, vt, quod adderemus, non habeamus. In gratiam tamen eorum, qui timent phænomena cæli, aut quos publicarum nouellarum lectio deletat, loca quædam ex pagellis his excerpta allegare, in memoriam iterum reuocare non iniucundum credimus, quia recensita ibi ostenta,

ab hominum metu, inscitia, superstitione, nescimus pro quibus horrendis miraculis, aut futuræ orbis euerfionis prodromis aut signis vendita, certe nihil aliud fuerunt, quam eiusmodi meteora. Ita verbi gratia retulerunt die Breslauer Zeitungen 1736. num. 170. sub articulo: Constantinopel vom 18. Septembr. Den 13ten Nachmittage um 4. Uhr wurde der Horizont über dieser Stadt mit einer dicken Wolcken überzogen, und dadurch die Luft dermassen verfinstert, als ob es Nacht wäre, solches dauerte ohngefehr 96. Minuten, wornach sich mitten in der Wolcken ein heller Stern, dessen Farbe ganz Blut-roth war, sehen liesse, nach 6. Uhr des Abends verlohr sich dieser ungewöhnliche Stern, welcher zuletzt noch mit einem Schweiff sich vermehret, worauf ein dicker Nebel kam, der bis um 11. Uhr in der Nacht dauerte, und einen übeln Geruch hinterließ, welches die Leute, bey einer so ungewöhnlichen Sache, in grosse Bestürkung setzte. Vides, Lector, hic globum igneum, a nostro in eo tantum distinctum. quod non simul & semel, aut adeo celeriter sed successiue, consumtus sit, & consequenter, forte propter materiam magis homogeneam, & puriorem vel non adeo compactam, sine fragore disparuerit aut se in nebulam sequentem foetidam. ampullæ fumantis BOYLIANAÆ ad instar mutauerit. Porro scribebant die Breslauische Zeitungen 1736. num. 191. sub articulo: Dresden den 24. Nouemb. Aus der Ober-Lausniß hat man
Nacht

Nachricht, daß man nur ohnlängst zwey Meilen von Görlitz an den äussersten Gränzen der Ober-Laufnitz gegen Böhmen, bey annoch hellerscheinender Sonne einen ganz hellglänzenden Stern, der dem oculo Tauri ganz gleich, aber nicht in so gewöhnlicher Höhe, welcher sich nach und nach gesencket hat, und je weiter er herunter gekommen, je feuriger er geworden, gesehen habe; je näher er nun der Erde zu gekommen, je grösser er zu sehen gewesen, bis er endlich als eine lichter lohe brennende Kugel, ungefähr 2. Schuh, 3. Zoll im Diametro, plötzlich unter einem entsetzlichen Krachen, und sehr starckem Donner-Knall in voriger Gegend auf die Erde gefallen, und in viel tausend brennende Funcken sich zerstäubet. Und noch selbigen Abend hätten sich ganz ungewöhnliche Nordscheine eingefunden, die sich zu dato noch so helle als der Mond in seinem vollen Lichte sehen liessen. *Globi præsentis ignei, ad terræ superficiem vsque casus, si opticus error, vt in eiusmodi phænomenis communiter solet fieri, ignaris spectatoribus non imposuerit, rarissimus profecto est, & ideo eo magis notandus. Hoc simul tamen dolendum, si reuera, vt fertur, in terram ceciderit, quod notare oblitum sint, quosnam vel in superficie telluris vel in aliis proxime existentibus corporibus, arboribus verbi causa, aliisque post se reliquerit effectus? an adusserit, aut disiecerit viciniora corpora? &c. Nuper adhuc aliquid huc faciens dabant itidem die Breslauer Zeitungen*

1737. num. 32. sub articulo: Utrecht den 10. Febr. Um 3ten dieses Monaths entstand in hiesigen Gegenden ein entsetzlich Sturmwetter, welches mit Schnee, Hagel und Donner vermischt war, und allhier zwar nur grossen Schrecken, an vielen andern Orten aber auch grossen Schaden verursachet hat. Zu Zwoll in der Landschaft Ober-Rhess hat selbiges einen hefftigen Donnerschlag gethan, der über eine Minute gedauert, gleich darauf ist ein grosser Schnee gefallen, dabey hat es geschienen, als ob die Spitze des Haupt-Thurmes in vollen Flammen stünde. Doch solches Feuer, so nur ein Meteoron gewesen, hatte sich endlich auseinander getheilet, wovon ein Klumpen in den Hof eines Hauses, ein anderer in ein Wirthshaus und noch ein anderer einem commendirenden Officier vor die Füsse gefallen war, alle drey hatten sich bald hernach mit einem mässigen Knalle verlohren, und einen dicken schwefelichen Geruch nach sich gelassen, im Thurme hatte man aber keinen Schaden bemercket. Tam adcurata relatio est, vt, reliquis simul in subsidium adsumtis. multas recenset circumstantias, explicandæ eiusmodi meteoron naturæ, satis idoneas. Alias nobis non dissimile videtur igni, malorum extremos apices, aut antennas interdum, tempestatum tempore lambenti, & ab antiquis nautis Castor & Pollux, a recentioribus vero ignis sancti ELMII adpellato.

OBSERVATIO XI.

IOHANNIS GOTTLOB BERGMANNI

Chirurgi apud Reichenbacenses.

Contusio cruris sinistri periculosa.

ANno 1732. Vir quidam XXXVIII. annorum, temperamenti phlegmatici, vecte, quem trabibus ex curru deuoluendis adhibebat, infausto casu percutiebatur in crus sinistrum, versus latus externum prope os tibiæ. Quum vero læsio prima fronte non adeo magni momenti adpareret, non multum curabatur, sed proprio consilio Spiritu vini camphorato aliquoties illinebatur. Tertio die aduocor, & circumstantiis probe pensitatis, contusionem profundius penetrasse, & periculum eiusdem interius latere arbitror. Vulnus vel potius excoriatio parum sanguinis stillabat, quare cutis contusam coloris nigricantis particulam, ordinario separationem tarde minitantem, scalpro circum circa incidi, & sic a sano facile separauit. Hoc modo cavitatem duos digitos transfuersos profundam & tres longam, extrauasato sanguine plenam detexi. Vulneri ita in apicium ducto, & a peregrino cruore euacuato, vnguentum illinio digestiuum, quia vero haud exigua deerat carnis portio puluerem sarcoticum ex Sangu. Drac. Gum. Myrrh. Mastich. & Sarcocol.

col. paratum inspergo, cuius usu excitata natura carnis restitutionem notabili modo suscepit. Quum vero patiens eminenter esset Phlegmaticus, naturaque hoc loco fonticulum quasi spontaneum, superfluis atque impuris humoribus eliminandis, defacandis satis aptum, sentiret, statim sese exonerandi occasionem arripuit, tantumque lymphæ adfluxum excitavit, ut pulverem inspersum ablueret, & vulneris circumferentiam, totumque crus, multæ vesiculæ aquosæ, cataplasmata vel alia huius generis externa non ferentes, obsidere inciperent. Missum itaque feci pulverem sarcoticum, eiusque loco desiccantem ex Lytharg. Lap. Calamin. Cret. Liquirit. Camph. & Croc. in usum vocavi, & familiare mihi cataplasma simul adhibui. Interne, præmisso laxante, pulveribus ex Antimon. diaph. aliisque Ostracodermatis diaphoreticis, compositis, per octo dies decoctum lignorum iungo, quæ remedia, exanthemata totum corpus, sine febris tamen, occupantia, sequebantur. Vulneri plumaceola, decocto lignorum irrorata, imponebantur, laudabilissimo effectu. Intumescencia iterum subsidente, & inflammatione profligata, vulnus emplastro Gryseo, totamque vero circumiacentem regionem Defensiuo rubro texti, & ita, diuino concurrente auxilio, patientem paulo post restitutum dimisi.

SCHO:

SCHOLION.

Si vnquam Poetæ consilium, corruptum scilicet atque

- . . . *immedicabile vulnus*

Ense recidendum est, ne pars sincera trabatur, feliciter in vsum fuerit vocatum, certe hoc in casu factum est. Egregium enim inde elucet practicum iudicium, quod exercitatus vir, partem cutis contusam, & iam aridam, alias omnino, vt probe obseruauit, difficilis separationis, si naturæ soli relinquatur, scalpro a sanis adhuc partibus diuiserit, & cruori extravasato coagulato & postremam corruptionem, putredinem scilicet, iam minitanti, exitum fecerit. Dantur quidem tam putidæ auaritiæ. aut vix excusandæ inscitæ Chirurghi, quos non pudet, morbos suæ sphæræ proprios diu protrahere, imo quæ paucis initio potuissent sanare, multis curare, vel studio peiores reddere & ex vulnuscule carcinoma efficere, quo facilius ægrorum crumenas emungant; aut qui re male intellecta scintillam in flammam euadere sinunt, morbumque per mortem, vel ad minimum membri cuiusdam amissionem tollunt. Non ideo incongrue CELSVS notat Chirurgos, quum ipsis turpe esse pronunciat, si finem intentum non obtineant. Felicior hac in parte Chirurgia est, præ Medicina Clinica, quia ipsi immediate remedia parti morbosæ adplicare, quod arti medicæ non nisi per multas ambages, licet. De
in.

inde quod adhuc maius est, oculis vt plurimum videri, manibusque palpari potest, morbi qualitas, & partis patientis constitutio, quod medicinæ, quum interna sint & occulta, quæ rimatur, vix diuinando adsequi licitum est. Quæ quam sic sese habeant, eo magis etiam culpandus est chirurgus, vel proposito vel errore peccans, quo impensius laudandus, si, quod partium suarum est, ad amissum impleat, & quod in opprobrium plurimorum Silesiæ nostræ dictum sit, boni exercitæ ac conscientiosæ viri nomen tueatur. Sed e diuerticulo in viam. Illa porro obseruatio, quod Gummi Sarcocollæ, ex quo puluis sarcoticus primario constabat, tam ingentem Lymphæ adfluxum excitarit, sua certe non caret vtilitate, testaturque, quam necessaria etiam chirurgo sit doctrina de TEMPERAMENTIS, quæ vt & reliquarum Physiologiæ partium notitia, rara inter chirurgos auis est. Quum enim remedia sarcotica nil aliud in corpore viuo agant, quam vt naturam ad copiosiore lymphæ nutritiæ adpulsam stimulent, inuitent, ratio in promptu est, cur in temperamento phlegmate abundante, facile natura peccauerit excessu, & occasionem, locumque adripuerit, humoribus, tam quantitate, quam qualitate peccantibus, educendis aptum? Ulcusque fortassis perpetuo manans, difficillimæ deinceps consolidationis, si non statim obuiam esset itum, efficere, aut ad minimum carnem luxuriantem rebellem, ni tempestiue metho-

tho-

thodus curandi fuisset mutata, generare tentarit? Meliori ergo ratione, contraria medendi ratio adhibita fuit, eliminando scilicet humorum abundantiam, per consueta emunctoria, laxando scilicet, & placidam excitando diaphoresin, vt & pulueribus externis desiccantibus, vi sua leniter absorbente & strictoria, partim humores incrassantibus, partim tubulos fibrosos paululum constringentibus, adfluxum humorum nimium cohibendo. Nobis deinceps admodum placet illa viri exercitatissimi encheiresis tam periculosam læsionem sine emplastris, quorum exigua sane, consentientibus prudentioribus Medico-Chirurgis, in sanandis vulneribus vis est, tractandi, sed ea potius demum adhibendi, quum, quæ fieri debebant, iam facta fuerint, vbi etiam aliquis eorum vsus concedi potest, vt scilicet, quando cicatrix induci debet, aeris impulsus, aliorumque peregrinorum corporum commercium, regeneratis fibris admodum subtilibus, roburque debitum nondum adquisitis, inimicum arceant. Sua demum sponte sequentia ex hoc casu fluunt consecutaria: I. Cutis, vi externa fortiter contusa, a sanioribus partibus ferro separanda aut ad minimum incidenda, vt crur stagnans extrauasatus statim educi possit. II. Contusio licet etiam profundius penetrarit, non adeo difficulter prudenti methodo obedire solet. si modo humores extrauasati, stagnantes, & celeriter in corruptionem ruentes, tam cito, quam

po-

potest, eliminentur. III. Gummi, Sarcocollæ,
& reliqua sic dicta farcotica, in phlegmaticis
subiectis tuto non adhibentur, & ideo ma-
gnam requirunt circumspectionem IV. Sic-
cantia e contratio phlegmaticis profunt. COL-
LECTORES.

Mantissa

ad Specimen II. Satyrarum

Num. I.

Methodus Periodica

in

Observationibus Meteorologicis

adhibenda. (*)

Caput. I.

DE VARIO VENTORVM STATV
HVIVSQVE MUTATIONIBVS.


§. I.

Aer intra se semper commotus, raro qui-
dem, quandoque tamen ad breue tem-
pus, oceani instar Malaciam patitur:
Nu-

* Dignam omnino iudicauimus presentem dissertatio-
nem, ab amica manu, quæ latere voluit, nobis commu-
nica-




OBS. IX.






OBS. IX.



OBS. X.





Nubes tunc rariores, & vt plurimum altiores, in illo, quo conſpiciuntur loco, naſcuntur, vt neſcias vnde venerint; diffluunt item atque euaneſcunt, vt neſcias quo abierint.

§. II.

Cauſa quietis huius potiffimum eſſe videntur venti collaterales oppoſiti eiufdem altitudinis, pariſque potentia, qui ſe mutuo fiſtunt, donec auctis ex vna vel altera parta ventorum cauſis, alteruter præualeat.

§. III.

Aeris vero commotiones omnes ad tres reduco ſtatus: PRIMVS eſt ſtatus aeris SIMPLEX & VNIFORMIS, vbi ventus non niſi vnicus, pla-

nicatum, vt ſatyris noſtris inferatur. Nam multa continet lectu iucunda, & prolixam experientiam teſtania, varia ad meteorologica præſagia vtilia, & haſtenus non adeo nota, quæ curioſos inuitare poſſunt, ad experimenta & tentamina de nouo inſtituenda. Auctor quidem, vt adparet anonymus eſt, certo tamen nobis conſtat, nullum alium eſſe, quam Theologum Wratiſlauenſium celeberrimum, magnaue inter eruditos fruentem fama, beatum ſcilicet CASP. NEV. MANNVM A. C. Eccleſiar. Inſpectorem olim meritiffimum. Hæc fuerunt, quæ LECTORES, occasione huius ſcripti, hucusque in puluere & tenebris ſepulti, ſcire voluimus, precantes, vt Amicus atque Fautor, cui illud debemus, conamina noſtra in poſterum ſibi commendata habere, & porro huius generis ſpoliis, forte quædam ipſi adhuc reſtent, exornate velit. COLLECTORES.

Spec. II.

E

plano horizontali perpendiculariter regionem transit; *een doorgende Wind*. Vexilla turrium atque a plustra nauium vna cum nubibus omnibus tunc in eandem tendunt plagam; sed hic aeris status in his locis mediterraneis, non admodum frequens est. In tabulis obseruationum mearum designare eum soleo per lineolam rectam, addito signo venti, hoc modo:
— O. — S. &c.

§. IV.

SECUNDVS est status aeris TVRBVLENTVS, & MIXTVS, vbi transuersæ, imo forte circulares, vel saltem obliquæ, & non perpendiculariter incedentes aeris deprehenduntur spirationes, quarum vna semper depressior est, altera sublimior: *Variabel Wind*. Vexilla turrium nauiumque a plustra tunc non in illam vergunt plagam, ad quam nubes tendunt, sed in longe aliam: nubes etiam ipsæ in diuersas quandoque abeunt partes: inferiores in hanc, altiores aliæ in istam, iterumque aliæ, his omnibus sublimiores, in illam. Furit quandoque ventus in infima aeris regione, nubibus in regione superiore tardissime incedentibus. Alia vice, modo inuerso, nubes citato motu abripiuntur, cum in infima aeris regione ventus vix sentiatur.

§. V.

Venti hi nonnunquam diametraliter sibi inuicem sunt oppositi; diuersis saltem altitudinibus, hoc est, nubium vna a meridie aduecta, su.

Superior alia a septentrione aduentans, illam supergreditur. Aliquando ventus superior ab inferiore in horizonte vix distat grad. 27. vel. 28.

§. VI.

Singularis autem in hoc aeris turbulento statu obseruatio hæc est: quando Plaga venti superioris & inferioris distant 90° . tunc post breue temporis spatium circa gradum differentiæ 45° . hoc est in medio venti hi varii coeunt in ventum vnum. Aliquando tamen iterum diuiduntur ad angulum rectum, vt fuerant ante, iterumque redeunt in vnum, v. g. nubes aduehit *Auster*; vexilla vero atque fumum impellit *occidens*. Post breue temporis spatium, nubibus, fumo, vexillisque in eandem plagam directis. solum flare videbis *Austr-Occidentem*, eumque modo denuo discriminandum in ventos illos duos diuersos, *Austrum* & *occidentem*, iterumque forte post vnâ vel alteram horam rediturum. Mutationis huius causæ ni fallor sunt hæc; venti in diuersa aeris regione varii, ad eandem deuenientes altitudinem, lineas suæ directionis ad angulum rectum intercurrentes, mutua potentia vtrinque impellunt; & quidem, vbi paris potentiæ fuerint, æqualiter: æqualiter vero de directione sua remittentes, non possunt non tandem spatio differentiæ æqualiter diuiso, circa medium in eandem coire directionis lineam: vsquedum suis de causis, ratione altitudinis in diuersas iterum restituti aeris regiones, vterque ab

aduersario suo liber, sibi que redditus, ad pristinam redeat directionem.

§. VII.

Status hic aeris *turbulentus & mixtus* in his nostris zonæ temperatæ partibus, omnium frequentissimus est. Vnde obseruatoribus, qui in Ephemeridibus suis meteorologicis, singulis momentis, vnicum adnotare solent ventum, certissima aduersatur experientia. Ego hunc aeris statum in tabulis meis designare soleo per lineas duas decussatim se interfecantes: addito ad cornu inferius, vento inferiori, qui summum & vexilla impellit, ad superius autem, illo superiori, quo nubes vehuntur, v. gr.

X^s.
w.

§. VIII.

TERTIVM aeris statum PAROXISMVM vel TEMPESTATEM vocare soleo, cum maris tempestatibus comparandam: vbi procelloso ventorum impetu concutiuntur & commiscentur omnia. Valet in hoc aeris statu illud Batauorum: *de Wind loopt rondom het compas*. Aestatis tempore fulgura atque tonitrua tempestatibus hisce vt plurimum sunt coniuncta. Sæpe autem alio tempore, nil nisi plenarias illas aeris commotiones per omnes horizontis plagas obseruare licet, tempestate ipsa forte in vicinia defæuiente.

§. IX.

Quatuor mundi plagas quod attinet, impetus

tus ventorum omnium primus ab oriente est, ibique motum solis sequitur, licet id in aspera locorum mediterraneorum superficie, non æque ac in mari libero, sentiat. Hebræorum scholæ *Orientem* hinc קָדָם & קְרִמְנָה dixerunt, hoc est locum ubi incipit ק) circulus ג) in anteriora facta protrusionis ב) magnæ amplissimæque ב) ab vno loco in alium propagandæ; contra occidentem vocare solent עֵרֶב, ubi ע) obuiam incurrunt ג) effluuia egredientia ב) in Corpus aliquod. In occidente enim non modo solis radii, qui mane corpus superantes ב) in ק) circulum vel circumcirca ג) emanant atque egrediuntur (quod בְּקָרְבָּן summum mane audit) interposito terræ obstaculo, ad vesperam reprimuntur; sed ventus etiam ille vniuersalis, ab oriente egrediens, & mediterranea effluuia, tempestatum causas, secum aduehens, terrarum *Americanarum*, vel in hemisphærio altero *Sinarum* obstantium contrapositione repulsus ex communi sententia, ventos occidentales producit. *Auster* non a Polo antarctico sed a meridionali zona torrida ad nos peruenit, quæ plaga & nobis, & illis ultra tropicum capricorni habitantibus *meridies* est, & veteribus adpellata נֶגֶב, quasi dixeris *decliuitas*, נֶגֶב enim notat ב) ab vno latere in aliud ג) flexere ב) gibbum vel corpulentiam aliquam. In sphæra vero obliqua omni, etiam illa ab Hebræis habitata, axis mundana ad plagam Polarem semper eleuata, versus meridiem vbique inclinatur. Ex qua varietate male intellecta

sine dubio epidemica illa veterum Philosophorum persuasio fluxit, ad meridiem inclinatam esse orbem: contra quos disputat FR. VALLESIVS, in *Philosoph. Sacr. Cap. L. p. 314. Septentrionem tandem* \int Σ vocant, id est *Polum* vel *punctum* illud in quo Σ *successive coarctatur* \int *angulus* \int *vnus ad alium*. In Polo enim coeunt anguli illi imaginarii omnes, quos Astronomi & Geographi lineis, ad æquatorem ductis, describunt. Quæ antiquissima Philosophiæ Patriarchalis rudera, diu ignorata, paucis hic detegisse forte non pœnitebit. Vide mox dicenda in *Caput. IV. §. II.*

§. X.

Iam omnes aeris mutationes ventorum plagas in horizonte variantes, motu naturali & directo pergunt ab oriente ad meridiem, a meridie ad occasum ab occasu ad septentrionem; plagas intermedias nunc prætereundo, nunc etiam successive occupando: atque circulum hunc indefinenter repetunt: teste etiam SALOMONE *Ecclesiast. I. 6.* vbi principium sumens ab oriente, quæ Hebræorum prima atque anterior Plaga est, dicit, ventum pergere ad meridiem, dehinc circumuenire ad *Polum* vsque dum circulum suum absoluat; & in hos circuitus redire eum semper. Idque in zona temperata, quæ est intra tropicum capriorni & circulum antarcticum eodem modo se habere nullus dubito.

§. XI.

Aliquando tamen ventus ex directo fit retro-
gra-

gradus: verbi gratia, ex *ſeptentrionali* Plaga re-
greditur in *occidentalem*, ex *occidentali* in *meri-*
dionalem. Quorum vltimum omnium fre-
quentiſſime fieri ſolet, relabente ſæpe vento
ex *occidente* vsque ad *Auſtr-Auſtr. orientem* (*Sud-*
Sud-Oſt) Atque hi ventorum retrogradationes,
reditus item in motum directum, iterumque
facti reſceſſus, quandoque multis diebus ali-
quoties repetiti durant: ſæpius tamen in hori-
zonte occidentali, quam in orientali: vbi forte
motio illa aeris generalis, ab oriente procedens,
id non ſemper permittit.

§. XII.

Retrogradationes hæ ventorum omnes, gra-
dum horizontis 180. non multum ſuperare ſo-
lent: & circulum integrum nunquam abſol-
uunt. Exceptis iis, quæ in *Paroxiſmo* fieri ſo-
lent, vbi natura legibus ſuis quaſi ſoluta, con-
turbat omnia vi. §. VIII.

§. XIII.

In ſtatu aeris *mixto* & *turbulento* ratione Pla-
garum, anterior eſt atque præcedit ventus, nunc
inferior v. gr. X_{W}^{S} . nunc ſuperior X_{W}^{N} .

§. XIV.

Venti non *orientales* vel potius *occidentales*,
horumque collaterales, *Auſter-occidens*, & *Aquil-*
occidens in his terris ſunt frequentiſſimi, integris
ſæpe menſibus durantes. Teſtatur hoc contra

dissentientes, a multis annis indubitata experientia. In Palæstina vero idem obtinuisse ex eo colligo, quia Hebræi pro arcendo fœtore, officinam coriariam in suburbiis concessere, vel tantum a latere orientali vel tandem in latere quocunque, solo tamen excepto occidentali. Teste LIGTFOOT in *Centur. Chorograph. Matth. præmiss. c. 98. n. 4.* Imo qui effossa robora arborum petrefacta pro diluuii vniuersalis reliquiis venditant, notanter obseruant, iacere ea fere semper prostrata, ab *occidente* versus *orientem*, vel ab *Aquil. occidente* versus *Austr. orientem*. Adeo, vt hinc concludere liceat, ipso etiam diluuii tempore, ventorum non alium in his terris fuisse statum, quam eum, qui nunc est. Vide sis dicenda *Cap. IV. §. IV.*

CAPVT. II.

DE TEMPORE PERIODICO MUTATIONIS VENTORVM.

§ I.

OMnes ventorum mutationes correspondent, motui lunæ: consentit Antiquitas orientalis, per dicta in *clauæ domus Heber P. I. ad ad lit. Iod. §. 8. pag. 53.*

§. II.

Vtrobique vero natura, perinde vti in microcosmo, eiusque statu febrili, ita etiam in macrocosmo, huiusque tempestatibus facit *pe-*
tio-

riodos triduanas, quarum initium atque finis, hoc loco est, circa horam cuiuscunque diei tertii illam, qua fuit proxime antecedens *Noouilunium*, & quam ob id vocare soleo HORAM CRITICAM totius mensis lunaris subsequenti. Monuerunt me de hac veritate omnium primo ea quæ habet G. BAGLIVVS *de fibr. motr. & morbos.* (*) ex relatione Presbyteri Syro-

E 5

Da

(*) Hic locus in citato tractatu *de Fibr. motr.* non occurrit, sed in *Experiment. de Sanguin. Respirat. staticæ aeris &c.* priori annexis pag. m. 242. Edition. Ultraiect. 1703. 8. Verba vero BAGLIVI sunt sequentia: Dicam quoque quod de *Lunæ motibus ab erudito Presbytero Syro-Damasceno in maritimis itineribus, & in re nautica versatissimo, audiui; eam nempe, veluti dies critici solent, statutis, determinatisque periodis in hæc inferiora influere, mutationesque temporum producere. Qua in re sic procedendum ipse me docuit. Post duas vel tres horas a factæ nouilunio vide quæ temporis constitutio, qui venti tunc regnent; & qualem constitutionem, ventosque dictis horis obseruaueris, tales durabunt ad tertium diem lunæ, scilicet ad dictam horam, qua factum est nouilunium. Si tertio non mutetur, durabit ad quintum circa dictam horam; si neque quinto ad septimum a 7. ad 9, a 9. ad 11, ab 11. ad 13, ab hoc ad 15, inde ad 17, hinc ad 19, a 19. ad 21, ab hoc ad 23, ad 25. hinc ad 27. finem lunaris periodi. Si quid circa mutationem ventorum, aut temporis, aut eorum durationem euenire debet, dictis diebus, & ordine recensito euenturum pro certa & infallibili nautarum experientia confirmavit Vir Optimus; mutationesque maiores ac magis sensibiles in quadraturis Lunæ futuras asseruit. COLLECTORES.*

Damasceni, in itineribus maritimis versatissimi. Neque dubium est, fuisse etiam Periodos has meteorologicas *triduanas* antiquissimis temporibus cognitās, cum PINDARVS expressē ventum *τρίτατος triduanum* dicat, quomodo febres *tertiana* vel *tridua* dicuntur; & nautas sapientiores hunc prænoscere asserat *Nemeor. 2. ἐπω. α. p. 142. Edit. Schmid.* Ego quid hac de naturæ mysterio, longo vsu edoctus, rescuerim, paucis exponam.

§. III.

Nempe, quam mundi plagam hora hac critica occupauerit ventus, in ea sistetur ad minimum vsque ad tertium diem: ita vt ante periodum illam finitam motu *directo* ulterius non pergat, quamuis periodo hac durante retroagi possit, iterumque restitui.

§. IV.

Exempli loco ponamus nouilunium esse I. Octobris de die h. 12. *Hac* igitur in posterum per integrum mensem erit mihi *hora Critica*. Obseruo autem, quantum per aeris constitutionem fieri potest, diligentissime, in qua mundi plaga nouilunium hoc ventum sistat; id quod tamen ob mutuam ventorum pugnam, aerisque incertas fluctuationes, tunc saepe fieri solitas, ante bihorium, ob ipso momento synodi factæ absolutum, non semper indubitato sciri potest. Ponamus autem ventum circa horam 3. pom. in plaga septentrionali substituisse:
pla-

plagam igitur hanc septentrionalem motu *directo*, hoc est, vterius pergendo versus orientem, ventus non supergredietur, ante hor. 12. d. 3. Octobr.

§. V.

Poterit vero periodo hac adhuc durante, retrocedere ventus, ex plaga hac septentrionali, in *occidentalem* vel ipsam *meridionalem*, vnde venerat; poterit etiam, eo vsque regressus, redire atque restituere se in plagam illam suam *septentrionalem*: superare saltim eam, atque versus orientem vterius progredi, nunquam poterit. Nisi forte superuenerit Paroxysmus, qui confundit omnia: quod tamen inter raro contingentia esse solet.

§. VI.

Periodo triduana finiente, horaque critica aduentante, id quod in exemplo dato continget, d. 3. Octobr. h. 12. merid. ventus, quicumque is haecenus fuerit, vel plagam suam, *motu directo* vterius pergendo, mutabit, vel intra eam, in qua haecenus fuit, subsistet: quod VENTISTITIVM vocare soleo, siue FIRMVM, quando nempe ventus status atque immobilis in plaga illa sua persistit, siue AESTVATORIVM, vbi perpetua mutatione nunc retrocedit, nunc restituitur. Vento per horam criticam non promotum, sed in plaga sua persistente, manent omnia in statu eo, quo haecenus fuerant vsque ad horam criticam proxime futuram; hoc est, ventus si retrogradus haecenus fuisset,

po-

poterit quidem hac periodo durante se restituere ad plagam suam criticam. in qua iam fuerat ante; v. gr. in casu proposito, ad Plagam *aquilonarem*; poterit is etiam retrorsum agi, versus *meridiem*, iterumque redire; sed plagam illam suam criticam, quæ hoc loco *aquilonaris* erat. non supergredietur. periodo hac durante: id est in exemplo dato ante hor. 12. d. 5. Octobr. Huiusmodi *Ventisistia* siue *firma*, siue *astuatoria* durare aliquando solent per *periodos triduanas* sat multas, ita vt *bora critica* ventum antrorsum *motu directo*, nunquam promoueat integris septimanis: imprimis in hemisphærio occiduo.

§. VII.

Mutanda vero atque promouenda vbi fuerit plaga venti, sub *bora critica*, tunc *motus præparatorios* in aere aliquando licebit obseruare, vna vel altera hora ante eius aduentum. v. gr. in casu dato, *bora critica* est 12. meridiana: Prodromos igitur, venti ex plaga septentrionali versus orientem, & forte plus vltra mouendi, diligens obseruator videbit iam circa horam. 9. 10. vel. 11. antemeridianam. Motusque hi præparatorii quandoque sunt admodum vehementes.

CAPVT. III.

DE BAROMETRO.

§. I.

Quamuis instrumentis meteorologicis omnibus, etiam optimis, parum adhuc fidei in-

inſit, ſummam nempe ſibi que ſemper conſtan-
tem, ſi quæ fueris accurationem; iuuat tamen
ſequentia monere de Barometro.

§. II.

Omnes ventorum mutationes variant alti-
tudinem ̄rii: ad minimum mutando ſuperfi-
ciem Columnæ mercurialis in tubo, quam vel
gibboſam, vel *planam* vel profunde *cancauam* fa-
ciunt: id quod in *Tabb. meis* per litteras *g. pl. pr.*
indicare ſoleo.

§. III.

Mutationes hæ aliquando apparent in aere
ipſo cum nondum ſentiantur in Barometro:
aliquando autem ordine inuerſo videntur in
Barometro, cum nondum appareant in aere;
quorum phænomenorum cauſam ſufficientem
dare non valeo.

§. IV.

Exaltat Mercurium *Septentrio*, deprimit *meri-
dies* (*)

§. V.

Plagæ intermediæ omnes vtrumque faciunt
pro, diuerſo nempe, hoc eſt, *directo* vel *retro-
grado*, ventorum inceſſu; quem quia hætenus
obſeruatōres noſtri non diſtinxerunt, non po-
tuerunt non obſeruationes nobis dare appa-
ren-

(*) Hanc obſeruationem B. AVTOR etiam BAGLIVO
forte debet, variis experimentis tubo Torricelliano fa-
ctis claram. vid. *Loc. cit. pag. 238.*

reter contradictorias, vbi vento in hac vel illa plaga conſtituto, vnus *adſcenſum* Φ ri tribuit, alter *deſcenſum* ei adſcribit.

§. VI.

Vento nempe a *Meridie* in *horizonte occiduo* verſus ſeptentrionem *motu directo* procedente *adſcendit* Φ . vento autem a *ſeptentrione* in *eodem* hemiſphaerio *motu retrogrado* remeante, Φ *deſcendit*: e contra, vento a *ſeptentrione* in *horizonte orientali* verſus meridiem *motu directo* procedente, Φ *deſcendit*; a *meridie* autem, in *eodem* hemiſphaerio *orientali* verſus ſeptentrionem *motu retrogrado* redeunte Φ *aſcendit*.

§. VIII.

Aere in ſtatu *turbido & mixto*, ſecundum diuerſas ſui regiones variis agitato ventis, ventum, qui regionem inferiorem occupat, vt plurimum ſequitur Barometrum, quæ tamen veritas vltiores adhuc meretur obſeruaciones.

§. VIII.

Quo diutius ventus in plaga hac vel illa commoratur, eo maior fit Barometri mutatio, licet ventus plagam ſuam non mutet: v. c. ventus *ex ſeptentrione* *motu retrogrado* deuenit in *occidentem*; *deſcendit* igitur Φ ; vento autem in plaga hac diu perſiſtente ſemper magis magisque *deſcendet* Φ , licet ventus ad meridiem propius non accedat. Diu enim durante vento in eadem plaga, *creſcit* cauſa *exaltationis* vel *depreſſionis*. Cauſa vero *creſcente*, *creſcit* effectus.

§. IX.

§. IX.

Quæ in quacunque regione ſumma, ſiue *altitudo*, ſiue *depreſſio* ſit \bar{Q} rii, id non obſervationibus vnus vel alterius anni determinandum eſt. Variant enim hæ altitudines diuerſis temporibus, etiam in conſtitutione aeris non multum diſſimili; dantur anni, vbi \bar{Q} fere ſemper in ſublimi hæret, & ibi pro quocunque ventorum progreſſione vel retrogradatione, mutationes ſuas expedit: dantur iterum anni, vbi eundem ſemper videbis multo depreſſiorem. Imo dantur in omni loco adſcenſus & deſcenſus huius exempla quædam rariora, a multo tempore non viſa, neque reditura, niſi poſt multos annos. Id quod obſeruatores veterani non negabunt; cauſam vero horum phænomenorum mecum forte tranſcribent Athmoſphæra, cuius moles non ſemper, vti videtur, eadem eſt, ſed altitudine & magnitudine ſua variat.

CAPVT. IV.

DE PRAEDICATIONIBVS METEOROLOGICIS.

§. I.

PRognoſtica, quæ Mechanici noſtri, Barometris ſuis vulgo adſcribere ſolent, nullius ſunt momenti; ideo, quia vna eademque \bar{Q} rii altitudo vel depreſſio, non ſemper vnum eundemque aeris indicat ſtatum; per dicta ſuperius C. III. §. IV. & VIII.

§. II.

§. II.

Austro flante & ☽ descendente certissime sequentur dies vel *ventosi* vel *pluuiosi*, vel *virumque*. (*) Confirmat hoc inter alia etiam in antiquitate orientali peculiaris plagæ meridionalis appellatio, qua eam dixerunt קָרָר id est, locum ubi sit ר) *protrusio* ר) *effluuiorum egredientium*, ר) *multa & magna*. Calor nempe in illis terris omnium intensissimus, vapores quam maxime extenuat: vnde venti & tempestates, quas scriptura sacra *tempestates austri* dicit, ZACHAR. IX. 14. & ventus quidem impetuosior, prima quasi atque certissima semper plagæ meridionalis proles est, secundum illam antiquissimæ philosophiæ regulam parum hæcenus intellectam; *Ab austro veniet procella, & a polis frigus*. IOB. XXXVII. 9. ubi iterum plaga, vel regio inter Polum vtrumque media, hoc est, meridionalis, tertio quodam nomine vocatur קָרָר , quod est, locus in quo ר) *modo nominata protrusionis est fluuiorum a meridie egredientium* ר) *Congeries est, atque consociatio*. Sub æquatore enim, in zona torrida combinatio est duorum hemisphæriorum, ibique effluuia globi terraquei ita consociantur, vt pars eorum deinde protrudatur versus polum *Arcticum* pars versus *Antarcticum*,
ven-

(*) Obseruauimus plus semel, quod, si ☽ non tam descenderet, sed quasi magna vi per notabile spatium tibi præcipitaretur, ventus subsequutus sit, non pluuia.
COLLECTORES.

vento vbique calente & pluuiarum genitore: מִצְרַיִם vero, nomen *plurale*, quod mox subsequitur, non *septentrionem* solum, sed rectius *polum mundanum utrumque* denotat; hi enim poli D) ex *amplitudine* huius vniuersi I) *protrusi apices* illi I) *extremi* sunt, circa quos in axe mundana voluntur omnia, a meridiana tempestatum & pluuiarum confociatione, æqualiter distantia, & a quibus in utroque hemisphærio est *omne frigus*. *Habitatoribus* enim sphaeræ rectæ duo sunt *Aquilones*, *Auster* nullus. *Veritatem* rei ipsius, quam dico, norunt hodie philosophi omnes; eius aliquid in loco allegato ex veterum versionibus viderunt interpretes; voces autem IOBI ipsas hactenus exposuit nemo.

§. III.

Austro flante, atque Orius per saltus quasi subitanteos multum descendente, repentina & dura instat tempestat, in æstate vt plurimum cum fulgure & tonitru coniuncta.

§. IV.

Tempestate hac tandem irruente, ventus vt plurimum ex plaga *australi* vertitur in *occidentalem* atque ex hac pluuiam aduehit vt i. *Reg. XVIII. 45.* & *LVCAE XII. 54.* in *Aquil- Occidente* vero ultimo definit. *Mercurio* magna vi tunc ascendente. Eo autem non ascendente, tempestat ex toto nondum est soluta; sed restat adhuc aliquid eius breui subsequuturum.

Spec. II.

F

§. V.

§. V.

Vento ex plaga australi in occidentalem procedente, si nil tempestatis ventosæ, vel pluuiarum nihil subsequatur, retrocedet ventus ex occidente in austrum. Vento autem ex occidente in austrum remeante, semper ibi de nouo siue ventositatis, siue pluuiæ aliquid sibi contrahet aer, & hoc tandem dabit sentiendum.

§. VI.

Aquilo nubes ab austro aduectas ^{ללל}, congregat & comprimit aduersatiue, vnde sæpe ad tempus pluuiarum augmentum; ^{לל}) in partes tamen *aduersas* cum eas comprimat, sequitur, licet non semper in instanti, tandem tamen, serenitas: secundum verba *Prou. XXV. 23.* quæ hæctenus interpretum crux sunt.

§. VII.

Status aeris *turbulentus*, supra descriptus, incertam quidem producit tempestatem, nunc serenam, nunc per breue temporis spatium pluuiosam; magis tamen secundam atque serenam: quæ fere inter prædictiones meteorologicas omnes certissima est.

§. VIII.

Aeris humiditatem, pluuiasque adpropinquantes prodet etiam aliis indicationibus coniunctum Hygrometrum; quod quo simplicius, eo erit melius.

§. IX.

§. IX.

Caloris atque frigoris gradus quod adinet, omnibus notum est, ab *Austro* aerem *incallescere*. LVCAE XII 55. ab *Aquilone* vero procedere *frigus* IOBI XXXVII. 9. Quæ autem cum ita sint, non poterit non etiam Barometrum, quamvis ab omni aere quam diligentissime liberatum, Thermometri vulgaris non figillati vices suo modo implere; exceptis saltem illis caloris vel refrigerationis gradibus, quos sol motu suo diurno producit. Quoad id vero, quod huc conferre solent ventorum mutationes, certum est, & riuo descendente, descendere etiam spiritum Thermometri: illo autem adscendente, adscendere etiam hunc; vel saltem stare immobilem illa hora, ubi tamen, v. gr. circa meridiem, ob solis altitudinem in meridiano descendere debuisset. Quia nempe utrobique eadem sunt causæ, non potest non idem sequi effectus.

CAPVT. V.

DE PRVDENTIA OBSERVATORIS.

§. I.

VT Constitutionem Cæli quandoque valde dubiam secundum dicta rite discernat observator, magna is circumspectione opus habebit.

§. II.

In vrbe ex ædibus suis prospiciens non nunquam vix crediderit, eam esse cæli faciem, quam esse vident in campo constituti.

F 2

§. III.

§. III.

Nubium directiones per ædificiorum arborumque cacumina iudicaturi, oculum sæpe fallunt deceptiones optica.

§. IV.

Vexillis, ædificiorum coronidi impositis, raro fidendum; meliorem vero usum præstant Aplustra loco conueniente suspensa, qualia in mari mediterraneo nauigantes quandoque adhibent ex globulis e subere factis, plumis vndique cristatis, & filo inductis. Iuuat etiam aliquando vti vitro sufficienter tincto, pro motu nubium circa discum solis obseruando: perinde vti nubes circa lunam obseruabiles, eandem ventorum directionem omnium optime indicant de nocte.

§. V.

Cælo obscuro, & membrana quasi obducto, obseruationes, de ventorum plagis faciendæ, omnes sunt incertæ. Velo enim hoc tandem rupto, nubes directione longe alia incedere videbis, quam quidem credideras.

§. VI.

Idem fit hora critica incidente in noctem il-lunem.

§. VII.

Cælo tandem prorsus sereno iterum incertus sum, num status aeris sit *vniformis & simplex*, num vero *turbulentus & mixtus*. Expectandus igitur erit nubeculæ alicuius aduentus: & hac oborta, videbis quandoque ferri eam vento
lon-

longe alio quam is est, quem in regione aeris inferiori obseruaueras.

§. VIII.

Mutatione venti, obseruatore dormiente, facta, incertus is quandoque erit, directus an retrogradus nunc adfit ventus, donec id aliunde collegit: v. gr. sub vesperam *aquilonem* flare viderat, circa medium noctis, *bora critica* aduentante, mutatur plaga venti, & laxata nocte *austrum* iam flare sentit. In incerto erit, num per *Orientem*, progressu *directo* ad *austrum* deuenit ventus, num per *occidentem* ordine retrogrado. Videndum igitur erit, an plagam hanc suam australem deserat ventus, periodo triduana nondum finita, & tunc ad quamcunque plagam aliam siue *orientalem*, siue *occidentalem* is perrexerit, per eam etiam venisse putandus est; redit enim semper eo vnde venerat; per dicta superius *Cap. II.*

§. IX.

Effectum atque complementum indicationum meteorologicarum, obseruator non in solo illo loco expectet, in quo ipse viuit; sed etiam, quid vicinis hoc vel illo die euenerit, percunctari discat, & veritatem dictorum comprobabit experientia.

§. X.

Tempus quod attinet, obseruationibus dicandum, non certe satis erit, semel de die adspexisse cælum. Ego vero singulis diebus ter hoc facere soleo: hor. 7. antemeridiana, pro obser-

uandis variationibus de nocte factis: hor. 1. pomeridiana, vt quid sol in meridiano constitutus effecerit, explorem; & tandem hor. 9. vel 10. vespertina, vt quid de nocte sperandum fit, coniciam. Saluis insuper obseruationibus illis, quas hora critica, tertio quoque die requirit.

§. XI.

Omnia autem cum fecerit obseruator, etiam diligentissimus, & perspicacissimus, semper tamen restabunt multa, quorum naturam euolue-
re nunquam poterit.

Num. II.

Epistola (*)

Dn. L. BENIAMIN SCHICHT

Gorlicensis Medici

ad

SATYRARVM COLLECTORES

amice conscripta, qua differitur;

*Cur Apoplectici & Balbutientes melius car-
tent, quam loquantur?*

Vestra

VIRI PRAENOBILISSIMI &c.

DE variis nouis Obseruationibus, Casibus,
Experimentis, tentaminibus &c. e Medicina,
Chi-

(*) Pergrata certe nobis fuit praesens Epistola extra Sile-
siae nostrae limites nata. Verum quidem est nostrum
sco-

Chirurgia, Anatomia & reliquis arti Medicæ famulantibus disciplinis defumtis, in posterum colligendis, & sub Tit. *Medicorum Silesiacorum SATYRAE* siue *Colledanea* aut *Acta* per partes edendis, intimatoria & inuitatoria ultra limites patrios etiam in viciniam, nimirum nostram *Lusatiam*, & in hac GORLICHII, curante Bibliopola vestro I. I. KORNIO vsque ad me peruenit Epistola. Intellexi exinde vestrum erga artem nostram, nunquam fatis exhauriendam, amorem, studium, desiderium, quo etiam factum esse persuasum habeo, vt in posterum eam perfectiorem sistere atque saniores in statum restaurare indefesso studio allaborabitis plane & desudabitis. Hoc consilio ducti, omnes Silesiæ Medicos, aliasque curiosiores (scilicet Silesiæ) personas his literis inuitastis, vt symbola sua conferrent, & instituto vestro non deesse vellent. Hæstitaui prima fronte, cum hæc legerem, & dubitaui

F 4

taui

scopum patriam tantum præ oculis habuisse, quum autem publico hoc edocti testimonio videamus, nec exterorum fauorem nostris laboribus deesse, eandem non solum libenter inseruimus, sed & optamus, vt reliqui vicinarum prouinciarum Eruditi, exemplum tam illustre imitari, nostras satyras suis symbolis splendidiore, auctiores reddere velint. Peractis itaque Clariss. AVTORI gratias, eundem precamur, vt in posterum plura huius generis specimina, nobiscum communitet. Cæterum nos excuset, quod extremum locum, quum primum mereatur, Epistolæ transmissæ tantum concedere nobis licuerit, quia specimen præsens iam hucusque erat absolutum.

taui plane, an etiam exteris Medicis, aliisque curiosis in Collectionibus Vestris locus quidam, si modo vltimus, esset relictus, nisi hocce dubium, spissa sane, multisque obseruationibus exterorum conscripta *Collectionum Wratisslauensium* remouissent volumina. Hinc spero Vos non ægre laturos esse, si & ego Bibliopolæ Vestri instinctu incitatus, paucula quædam, qualia qualia etiam erunt, vobiscum communicem, & Obseruationes, Casus. Experimenta, & Tentamina Vestra meis tentaminibus augere coner. Esto itaque hac vice quæstio illa: *Ex qua ratione Apoplectici & Balbutientes, quando vtrisque linguæ ex affectu qualis qualis in vita communi conceditur vsus, melius cantant, (*) quam loquuntur?* Scopus noster, de quo paucis & quam fieri poterit breuissimis quid dicam verbis. Duplex est quæstio, & quidem ratione subiecti. Primo enim quæritur, cur Apoplectici melius cantent, quam loquantur; deinde cur etiam id Balbutientibus contingat? Apoplecticorum nomine nequaquam hic intelliguntur Apoplectici in summo gradu tales siquidem his secundum II. Aph. 42. HIPPOCRATIS, nulla relictæ est

(*) Præsupponit Clariss. AVTOR Epistolæ τὸ ὄτι extra dubium esse positum, quod scilicet melius cantent quam loquantur Apoplectici & Balbutientes, & quidem recte, quum variæ huius rei consent obseruationes, & Nosmet ipsi nuperrime viderimus virginem quandam nobilem, hoc loquelæ vitio, Balbutie scilicet, laborantem, quod vero, quando cantabat, plane non obseruabatur.

est occasio cum morbo inire in gratiam, sed potius in leuiori gradu, qui tamen non facile curantur, & quibus post curam decentem, & in tantum possibilem, aliquis iterum linguæ concessus est vsus. Per Balbutientes, siue lingua titubantes intelligo hic secundum HEVRNII in HIPPOCR. V. Aph. 32. commentarium Τραυλῶς, hoc est, qui feliciter aliquam literam perfecte, pronunciare nequeunt, vid. SENNERTVS Lib. I. Med. Pract. Part. III. Sect. V. cap. VII. pag. m. 968. aut etiam a causa aliqua occasionali, & non omni tempore, & omnibus circumstantiis præsentibus, sed sæpius inter se variantibus balbutiunt. De his subiectis duplicibus, quando ipsis linguæ vsus qualis qualis concessus est, hoc est, quando Apoplexia linguæ paralyfin nondum induxerit confirmatam, quæ communiter in obmutescentiam se terminat, sed adhuc aliquo modo medicabilem, & Balbuties per ætatem aliasque circumstantias mitior & tolerabilior facta fuit, de his inquam dicitur, quod melius cantent, quam loquantur. Nimis prolixus forem & peccarem contra præscriptum, si omnes apoplexiæ & balbutiei causas, tam proximas quam remotas & remotissimas allegare vellem, quippe quæ quam maxime deprehenderentur sibi inuicem contrariæ & inter se pugnantés. Sufficiat hac vice tantummodo vnam alteramue, eamque vtrique communem recensere causam. Sic in Apoplecticis & Balbutiei obnoxiiis facultas siue potestas loquendi

impedita & denegata pro causa communi, & utriusque adfectui competenti, eaque proxima agnoscit *Linguae Paralyfin*, pro causa remotiori intemperiem nimis frigidam & humidam, siue coniuncta cum materia & nervos septimi paris seu irrigantem seu angustiam in iis parientem, ut loquitur SENNERTVS *Loc. cit. pag. m. 967.* & sic paralyfin linguæ introducentem, & vitio verti nemini poterit, si horum adfectuum causam remotissimam, in diætâ nimis humidam, in pocula nimirum nimia, & omnia alia quæ intemperiem frigidam corpori humano inferre possunt, quærendam statuet. Consideratis sic considerandis, ordinis ratio nunc etiam postulat, ut inuestigem, cur eiusmodi subiecta melius cantent quam loquantur? Priusquam autem rem ipsam attingam, præmonendum ducō, duo momenta extantiora, nimirum eruendum erit, quid significet, cantare, quid loqui? Loqui autem nihil aliud denotat, quam mentis suæ cogitata voce significare & exprimere. Vox autem est sonus articulatus, mediante quo ab aliis rebus sonum edentibus distinguitur. Et canere nihil aliud est, quam vocem eandem articulatam variis modis secundum artem intendere & remittere. Si itaque differentia inter loquendum & canendum tantummodo in modo vocem siue sonum articulatum rite tractandi quærenda est, necessarium erit, ut explicemus, quomodo vox siue sonus articulatus formetur, & quibus ad formandum utatur auxiliis.

For-

Formatur autem vox, quando aer in pulmonibus contentus in expiratione cum impetu plus minus manifesto ad laryngis rimulam propellitur, ea magis minusque mediante variis eorum musculis contrahitur, & dilataetur, quo ipso in tantas angustias cogitur aer (etiam in dilata-tione, quoniam proportio aeris ex pulmonum vesiculis ad tracheam protrusi, maior est, quam vt eam recipere possit trachea) vt deinde facta prius varia ad oris partes allisione, tandem vocem constituat. Quod vero articulata sit, hoc est, quod primo literas, nimirum vocales & consonantes, proferat, vt demum ex his fiant syllabæ, ex his dictiones, ex dictionibus integræ locutiones, id vnice debetur organis tam actiuis quam passiuis, huic negotio inferuentibus; in quorum priorum numerum pertinent *fauses*, in quibus omnes vocales, vna cum consonante H. formantur; *Lingua*, cuius pars extrema siue apex consonantes C. D. L. N. R. S. T. Z. media vero G. K. Q. X. format; & *Labia* quorum beneficio consonantes B. M. P. W. F. & V. proueniunt, vt etiam in vocalium formatione his carere non possumus. Inter passiuam autem numerantur Vuula cum Ton-sillis, narium Foramina, Palatus & Dentes. Ast hæc omnia tantummodo nominasse sufficiat, quia plenior deductio totum requirit tractatum. Interim tamen euolui possunt, FABRIC. AB AQVAPENDENTE, de Locutione. FRANC. MERCVR. AB HELMONT *Alph. Hebr. delin.*
CON.

CONR. AMMANNVS. *furd. loqu.* MALPIGHIVS *de lingua*, BELLINVS *de gust. organ.* BARTHOLINVS *Anatom. reform.* M. N. C. LANGII *Oper. Med. P. III. pag. m. 154. seq.* & multi alii. Quod etiam vox hæc articulata sit communicatiua, vitamque sustentans & conseruans communem, hoc vnice ab anima dependet rationali. quippe quæ sua cogitata aliis suæ essentiaæ similibus hoc modo communicat creaturis, ad differentiam vocis animalium reliquorum, in suo genere etiam articulata: siquidem inter bruta equus hinnit, asinus rudit, boes mugiunt, oues balant, canes latrant, cerui glocitant, leo fremit, vrsus vncat, lupi vlulant &c. Inter aues columbæ gemunt, reliquarum minorum gentium aues pipiunt, gallus cantat, gallina alia quando pullos suos ad defendendum & alendum inuitat, alia ante, alia post peractam imprægnationem vitur voce, quæ quidem per suæ essentiaæ naturam & necessitatem ad eiusmodi voces edendas coguntur & pelluntur, interim tamen non sciunt, quid faciunt, nec post voluptatem lætitiã, & post dolores indignationem & tristitiã percipiunt, quod solius animæ humanæ est rationalis, quæ scit quod sentiat, quid sentiat, & potest etiam aliis suæ essentiaæ similibus omnia cogitata voce significare & comunefacere articulata. Vltimo loco nunc etiam consideranda venit differentia illa supra memorata, quæ nimirum inter loquendum & canendum inuenitur, & in modo rite tractandi

di vocem siue sonum articulatum consistebat. Sic inter loquendum, vocem nostram pro varietate circumstantiarum quidem augemus & imminuimus, & pro necessitate etiam aliquo modo interdum intendimus & relaxamus, quæ tamen intensio & relaxatio inter canendum maiori in gradu, & quidem secundum artem Musicam per tonos, interualla &c. obseruatur. Differentia, modo dicta, itaque etiam est ratio, cur Apoplectici & Balbutientes melius cantent quam loquantur? Si enim vocis maior intensio & relaxatio, quoad modum, inter canendum quam loquendum obseruatur, omnibus palam patet, in nulla alia re, quam hac circumstantia modo dicta quærendam esse rationem. Enim vero maior hæc vocis intensio vel remissio inter canendum requirit maius temporis, respirationis & deliberationis spatium quam inter loquendum. Dum enim vox inter loquendum non quidem totas periodos & semiperiodos in vnisono proferre debet, sed pro diuersitate loci, temporis, rei, tonum mox intendere, mox iterum remittere oportet; ea tamen inter canendum ex consuetudine, & cum deliberatione, quia interualla & saltus musicos didicit & maiore temporis spatio (*) tonos musi.

(*) Rectissime profecto, si aliquid videamus, Clariss AVTOR *maius istud temporis spatium, cantu* quam loquela *absolui solitum*, pro causa vendidit, quod melius can-

muscos mox eleuationes, mox remissiores, mox celeriter, mox lentiori gradu secundum præscriptum profert. Hinc etiam fit, quod Apoplectici & Balbutientes, quando cum deliberatione & lento gradu loquuntur, potestatem suam loquendi impeditam, quoad partem & vt

cantent Apoplectici & Balbutientes, quam loquantur. In scholis enim Mathematicorum eruditus nota est, *exacta eaque reciproca inter motum tempusque*, quo absoluitur, *proportio*, & quod vires celeritati semper accurate respondeant, vt vni decedat quod alteri accedit. Exemplo res fiet clarius. Ponamus, molem linguæ se habere vt 100 robor musculorum neruorumque, huic mouendæ dicatorum, vt 150. (nam necesse est, vt vis agens, si motum producere debeat, sit maior vi resistenti, alias ambæ, si tantum æquales essent, sese destruerent) iam adparet quod lingua in ore extra locutionem vel cantum libere moueri possit. Porro fingamus, aerem ex trachea vno impetu expressum sua celeritate & consequenter vi reagente æqualem esse 48. ex quibus adparet, quod musculorum vis agens tantum maior sit $\frac{1}{74}$ & ita ea qua decet aptitudine, aut aeris ad loquendum valida vibratione, hanc vel illam litteram distincte pronuntiandam, tam breui temporis spatio non sufficiat. Iam si accipiamus aerem in cantu *triplo tardius* egredi, & ita eius reactionem tantum 16 valere, sequitur vt vis agens sit maior resistentia $\frac{17}{8}$ & *triplo fortior* aerem ferire, aut lingua in eo vndulationem, refractionem, & in oris fornice reflexionem suis vibrationibus, melius excitare sonumque magis articulatam proferre possit & hac ratione Apoplectici & Balbutientes (quibus omnino neruorum musculorumque vis aut morbo resoluta, aut naturali vitio imminuta est) melius aut facilius cantent quam loquantur. COLLECTORES.

vt plurimum, si non in totum, celare possunt, sicut tunc temporis, quando modo dicta obseruant. Quod etiam omnibus iis contingit, qui quanquam hoc vitio non sunt adfecti, attamen ob præcipitantiam & sæpius ob copiam verborum & rerum balbutire videntur. Et hæc fuerunt, quæ hac de re commentari volui, & nil reliquum censeo, quam vt Vos omnes & singulos rogem flagitemque, velitis pro vestro in artem nostram faubre, prolata æqui bonique consulere, meque fortassis errantem in rectam ducere viam. Erit hoc nominibus Vestris gloriosum, mihi quæ meliora scire cupienti quam gratissimum. Valete & fauete &c. e Musæo XVIII Cal. Octobris. MDCCXXXVI.

Num. III.

Vita

B. IOHANNIS KANOLDI,

Phil. & Med. D. Practici Wratislauenfis,

S. R. I. Nat. Curios. Academ. membr. dicti

DEXIPPI. (*)

D. O. M. S.

Vastum naturæ regnum ingressus, stupendam rerum varietatem ac multitudinem oculis lustraturus, sapientiæ stu-

(*) Lectoribus non iniucundum putamus, quod integrum monumentum, nomine Naturæ Curiosorum Wratisl. in obitum B. Viri erectum, publicatum, inferamus

studiose Viator, haud inani sollicitudine premeris, huc illuc fluctuans, quo te vertas, quibus potissimum inhæreas, quid intactum relinquas. Tandem si plurima oculis conspecta mente complexus fueris, soli ne tibi ista recondas, an aliorum quoque recludas visibus, incertus, felicem te forsitan prædicabis, scientem solum aliis incognita, feliciorum, si nunquam cognoscant alii, tecum expiratura, summam hanc sapientiam opinatus, Tibi, non aliis sapere. At nisi suffenus magnifice de te ipso sentias, inutilem affectare te sapientiam deprehendas, si animulæ tuæ terminis conclusam foras prodire non fueris, quæ comparanda est, ut aliorum necessitatibus promatur. Dotes suas natura rerum omnibus exponit; hanc ut recte imiteris, ipsius contemplatione discis. Quo benigniore gatudes indole, hoc faciliorem te præbeas necesse est, ut aliis non tibi soli sapias. Id si sapientum libri tibi non persuadeant; documentum recentissimum in promptu est, quod literatum hoc MONUMENTVM eloquitur. Conspectui tuo sistitur IOHANNES KANOLDVS, naturæ scrutator Curiosus, discendo infatigabilis, infatigabilis docendo, quo dum sibi, aliis etiam saperet. Natum parentibus honestis Ioanne Kanoldo (*) patre, qui nuper admodum ani-
mi

(*) Viro honesto, quamvis non splendidi generis, sed pauperculo, & chori vel sacelli cuiusdam in templo Elisabethano curam gerente.

mi corporis que viribus integris ſeptuagenario maior filium ſupremo fato anteceſſit; & Magdalena Kloſia matre, VRATISLAVIA, fecunda interpretum naturæ ſolertiſſimorum genitrix in lucem prodire iuſſit Anno MDCLXXIX die XV. Decembris. Poſt biduum ſalutaribus aquis renatum Chriſtiano cœtui adſcriptum vidit. Prima literarum rudimenta ipſo patre præeunte, in Gymnaſio Eliſabetano poſuit, IACOBO WILLISIO, CHRISTOPHORO FRIEBENIO, IOHANNÉ LINCKIO, CASPARO GVNTHERO, DAVIDE MAYERO, BALTHARARE STEPHANO, GEORGIO GEBAVERO fidis doctis que Iuuentutis formatoribus, inſitos ſapientię ſtimulos magis magisque ſuſcitantibus. Qui ad magna inſuperabili induſtria contendentem, & æquantem optimos, plurimos eminentem (*) inſuperque præceptorum amorem ſuſcitando obſequendoque ſibi conciliantem, commilitonibus ſæpe præferendum rati, ad altiora ſubſellia præter ordinem ſubinde prouehabant. Profundiora
artium

(*) Noſtrum omnino ad præcocia ingenia pertinere vel ex eo patet, vt aliunde nobis certo conſtat, quod ſecundi ordinis adhuc cuius, iam Thema aliquod poeticum, a præceptore propoſitum, ſex vel pluribus carminum generibus elaboratum, variatum, exhibuerit, immo, quod adhuc maius eſt, iam eo tempore græcos verſus fuderit.

Spec. II.

G

artium disciplinarumque arcana pandentes, MARTINVS HANCKIVS, ELIAS MAIOR, GOTTLÖB KRANTZIVS. Quo magis explere studebant auditorum animos, eo efficacius huius ardorem accendebant; quem etiam in Gymnasio Magdaleno exseruit, CHRISTIANO GRYPHIO selectæ latinæ elegantiam tradenti, & GODOFREDO KVPFENDERO historiam Ecclesiasticam Vet. Test. auspicienti, pari sedulitate adhærens. Diuinam humanæ iuncturo sapientiam duces optimi fuerunt CASP. NEVMANNVS, & CHRISTIANVS SCHMIDIVS, Theologi meritis suis celeberrimi. Hinc ad studium Theologiæ applicaturus animum, neque tamen citra linguæ sanctæ cognitionem oraculorum diuinorum facile patere sensum intelligens, Hebræa publice docentis ANDREAE ACOLVTHI attentus auditor, DANIELEM quoque SPRINGERVM sacræ literaturæ communem magistrum, scholis auscultauit priuatis. Dum vero inter Tyrones sapientiæ versatur, aliis erudiendis mature admotus, quæ ipse cognouisset, illos etiam scire volens, sparsa sibi sapientiæ femina feliciter transtulit. Humanitatis studiis mirum in modum captus, crebris, præsertim poeseos latinæ, exercitationibus, admirationem meruit æqualium, excitauit æmulationem, diligentiam præceptoribus dudum probatam insignibus argumentis denuo commendauit. Scho-

Scholicis acroaſibus Gymnaſmatisque præparato, Ao. MDCCL. Academia Halenſis aliud ſapientiæ theatrum aperiebat, quod induſtriam Eius nouis ſpectaculis fatigaret. Cauſa non vna erat, quare cœptum ſacrarum litterarum ſtudium mutare iuſſus, ad Artis ſalutaris adyta ſe conferre cogeretur. Prius tamen, vt Philoſophiæ præceptis animum firmaret, & patriæ Germaniæ adipiſceretur notiſſiam neceſſariam, IOH. FR. BVD-DEO, Philoſophiam Inſtrumentalem, CHR. THOMASIO, Doctrinam Decorum, IOH. PETR. DE LVDEWIG Germaniæ Principis ſtatum, explicantiſſibus aures præbuit. Inde ad id quod ſuarum partium erat propius accedens, humani corporis ſtructuram & ſeſſionem ab Excell. HOFSTETERO deſcriptam, a FR. HOFFMANNO Praxeos medicæ inſtituta monſtrata percepit. Præ cæteris vero illuſtre Hygiæ lumen GEORG. ERNEST. STAHLIVM ſuſpiciens, vniuerſum artis Clinicæ ambitum peragraturus. Phyſiologiæ, Pathologiæ, Praxeos, Chemiæ, Pharmaceuticæque, veram rationem Ipſo expoſente cognouit; Eundemque ad officinas ararias Mansfeldicas comitatus, variam æris naturam & tractandi modum edifferentem audiuit. Tum itinere in Bohemiam ſuſcepto, fontium medicatorum vires inueſtigaturus, Acidulas Egranas, & Thermas Carolinas examini ſubiecit. Ita ſapere ſibi viſus, num

aliis etiam sciret, exercitatione de *Abortu & factu moriuo* Ao. MDCCIV. Mense Martio, sub Præsidio Stahlianò mascule defensa, experimentum dedit, simulque summis in Medicina Honoribus dignum se præstitit. Eodem anno reducem, Patria in morbis profligandis felicem experta est. Ne autem rei familiaris cuis a ferendo ægris auxilio abstraheretur, virtutibus formaque spectabilem virginem ANNAM ROSINAM, CHRISTIANI KOPISII, Ciuis & Negotiatorum Vratislauenfium Senioris, filiam natu maiorem, Ao. MDCCV. die XX. April. vxorem duxit, sed Ao. MDCCVIII. die XXIX. April. obitu præmaturo puerperam amisit, supersticibus duobus breuis coniugii pignoribus IOHANNE (*) arti Chirurgiæ adducto, & GOTTLIEBIO †) trimulo fere matrem sequente. Ad vota secunda transeunti, feminei sexus dotibus ornatissima Virgo IOHANNA ELEONORA CASP. GAERTNERI, in Iudicio Ecclesiastico & Pupillari Secretarii filia, etiam natu maior Ao. MDCCXII. die V. Augusti, matrimonio iungebatur, iam tristissima mater VII. liberorum IOHANNÆ
CHR.

(*) Nat. 1706. die 10. Iun. Iam Berolinum fortunarum sedem eligente.

(†) Nat. 1708. die 19. April. ob. eod. ann. d. 12. Mart.

CHRISTINAE, (*) IOHANNAE ELEONORAE, (†) IOHANNIS CHRISTIANI, (**)
 IOHANNIS GODOFREDI (††) IOHANNAE RENATAE, (***) IOHANNAE FRIDERICAE (†††) IOHANNAE SOPHIAE (*) præreptum ſibi patrem acerbo luctu proſequentium. Imo ipſe orbis eruditus grauiffime dolet, ademtum ſibi naturæ Myſtagogum & alterum Plinium, cuius labores morte intercepti, tanto magis deſiderantur, quo gratiores harum rerum peritis exſtiterunt. In quibus numerantur *Epistolæ quorundam Medicorum de Peſte Daniſcana Boruſſiæ, Roſenbergenti Sileſiæ, & Fraußtadienſi Polonia Anno MDCCXI. publicatæ & Ao. MDCCXIII. auctiores recuſæ. Relatio Hiſtorica de Peſtilentia Boum Anno MDCCXIII. in lucem emiſſa: Epistolæ Medicorum Maſſilienſium de Peſte Maſſilia; & Hiſtoria de Morbis Pecudum ab Anno MDCCI. uſque ad Annum MDCCXVII. deduſta MDCCXXI. iuris factæ publici. Examen Fontium Tanhauſenſium*

G 3

Ao.

- (*) Nat. 1714. die 15. April.
 (†) Nat. 1716. die 31. Martii.
 (***) Nat. 1718. die 17. April.
 (††) Nat. 1720. die 21. Martii.
 (***) Nat. 1722. die 6. Iunii.
 (†††) Nat. 1724. die 11. Auguſti.
 (*) Nat. 1728. die 21. Octobr.

Anno MDCCXXV. editum. Maius opus fo-
 cia manu adgressus est, *Collectionum euentuum
 naturalium & artificialium*, atque orbis vni-
 uerfi, præcipue *Silesiæ, Historiam naturæ &
 Medicinæ* recentiore: quod Ao. MDCCXVII.
 inchoatum, continua serie annorum produ-
 ctum (*) accidentibus medio tempore IV.
 supplementis, mors abripuit. Prælo para-
 tas reliquit magnæ molis lucubrationes, titu-
 lum præferentes *Annalium de ortu, progressu,
 & exitu magnæ hominum Pestilentie ab Anno
 MDCCI. ad Annum MDCCXVI. conscriptorum.*
 Num quis tanta ab vno homine speret? aut
 plura desideret? Agnoui certe Herculeos vi-
 ri labores Cæsarea Leopoldino - Carolinæ
 NATVRAE CVRIOSORVM ACADEMIA, &
 tantis meritis dignum statuens pretium Ao.
 MDCCXIX. imposito DEXIPPI nomine col-
 legam suum esse iussit. Qui etiam vt Illustri
 hac societate dignum se gereret, præclaris *Ephe-
 merides ipsius* locupletavit *observationibus.* Sic
 implicitus simul negotiis clinicis, dum aliis
 sapit & inseruit, ipse consumitur & deficit.
 Anno MDCCXXIX sub initium Mensis Octo-
 bris incidit in Febrem Quartanam, quam die
 III.

(*) Cooperantibus primum D. KVNDMANN & D.
 KLAVNIG, donec posterioribus annis fere solus ela-
 boravit, vsque ad mortem. Deinde huc vsque conti-
 nuavit Celebr. BVECHNERVS, sed neminem latec
 egregio operi finem imminere,

III. Nouembris excepit Febris Acuta cum excretionē Purpuracea, cuius tandem vitæque terminus erat dies XV. eiusdem Mensis, quo beata analysi naturæ debitum soluens, Theoriam rerum naturalium permutauit sapientix cœlestis cognitione. Relictis terræ matri exuuiis, post annos ætatis L. minus. I. Mense transactos. Fidem dictis factam intelligis, Viator, qui scrutatorem hunc naturæ & interpretem, sibi Tibique & multis aliis sapuisse legis, iamque ad sublimiorem penetrasse sapientiam, non dubitas. Tu, si sapias, Tibi vt semper, aliis vt recte sapias, studebis. Spectaberis sapientiam, non vanam, quæ inflat, & propensionibus blanditur; sed sobriam, quæ emendat, & affectus moderatur; qua menti etiam non corpori solum, bene est, & quæ sapit cœlestem sapientiam.

✻ (o) ✻

Index.

❁ } o (❁

Index.

Obf. I. D. Gothofr. Henr. Burgharti. Cataracta post lotum caput subito exorians.	pag. 9
II. Catulorum aqua suffocatorum anatome,	14
III Rheuma Ischiadicum.	19
IV. D. Gothofr. Henr. Burgharti Chemosis in suppurationem transiens.	26
V. Eiusdem. Chemosis alia feliciter sanata.	31
VI. Febris causodes Ictero critico soluta.	34
VII. Purpura rubra Pleuritidi superueniens letalis.	38
VIII. Experimenta sympathetica.	42
IX. Botanica quædam.	51
X. Meteor. ignei Mens. Octobr. 1736. visi breuis delineatio.	53
XI. Iohan. Gottlob Bergmanni, Contusio Cruris finistri periculosa.	59


Mantissa

Num. I. Methodus periodica, in obseruationibus meteorologicis adhibenda.	64
Num. II. L. Benjamin Schicht Epistola ad Collectores scripta, qua differitur cur Apoplectici & Balbutientes melius contentent, quam loquantur?	86
Num. III. Vita B. Iohan. Kanoldi, Doct. Med. Wratisl. celeberrimi.	95



f. 5. p. 103. dff. 5.
p. 103. dff. 3.
p. 95. dff. 3.
p. 103. dff. 7.
p. 103. dff. 1.
p. 128. f. 1.
p. 110. f. 1. dff. 2.
p. 162. f. 11.





the scale towards document

nostri solaris systema-
te, vno verbo, planetae,
m stellam fixam, tan-
vagantes, & propter
tae suae, siue illa circu-
sue parabolica fit, per-
ostrum systema aduena-
m extendentes & sic in
m venientes, moxque
li, sub quo cernuntur
parbatos, vel caudatos
deesse ipsi videntur ar-
m eandem haud plane
entia, modo ex obser-
t, Cometam supra Sa-

OLION.

xplicando Cometarum
omenis maximam par-
nam hypothesin adopta-
quod de mutatione cor-
in Cometam, & destruo-
er Cometam dicit, non
n inuenerit. Curiosum
aetermittendum, quod
Sinops. Cometic. habet,
tentiae robur aliquod
. Nam Cometarum
dos, vbi scilicet eorum
orbitae telluris inter-
secat,